



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 6. De Constitutivo Supernaturalis Beatitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

bonitatis, absque ulla mixtura malitiæ, & absque ulla formidine de bonitate: ideoque cogit voluntatem ad amorem. Unde ex uno casu ad alium nulla est umbra paritatis. Sicuti apud adversarios nulla est paritas inter repræsentationem finitam, & ænigmaticam, & objectum infinitum ab ea repræsentatum.

186. Objic. 7. Contra quartam. Nunquam potest proponi divina bonitas, quin homo necessiterur ad aliquam illius complacentiam, etsi inefficacem, neque proponi potest unquam æterna damnatorum miseria, quin voluntas necessiterur ad aliquod odium, etsi inefficax illius: ergo proposita æternâ beatitudine, non manet voluntas libera ad omnem amorem, sed potius necessitata ad aliquem amorem illius. Confirm. Stat bene, quod mercator ob desiderium conservandi vitam projiciat merces in mare, retinendo affectum inefficacem erga merces; ergo stat bene, quod voluntas graviter offendens Deum, & ab illo se averrens, conserveat affectum amoris inefficacem erga ipsum; atqui nulla est ratio negandi talem amorem; ergo &c.

187. Resp. neg. ant. Quia voluntas etsi quandoque possit retinere talem inefficacem amorem, ut patet in exemplo adducto mercatoris, nequaquam necessitatur ad amorem illum retinendum. (idem esto de odio damnationis) Etenim cum beatitudo non proponatur absque

ulla mixtione malitiæ, aut difficultatis in ejus consecutione, potest voluntas, si velit, concipere solum amorem fugiendi illam difficultatem, quin concipiat amorem bonitatis summæ, aut beatitudinis. Sicut mercator, quamvis concipiat illam inefficacem volitionem retinendi merces, potest, si velit, eam non concipere, sed odio habere merces, quæ tantum periculum ei attulere, & ad tale extremum vitæ, quam amat, adduxere.

Ad confirmationem C. 1. entimemate, neg. subsumptam minorem. Ratio est, quia ex eo, quod possit concipi affectus inefficacis amoris, malè arguitur debere concipi, ut de mercatore diximus n. super. Voluntas enim, cum libera sit inter duo extrema inæqualia ad amandum unum, & nullatenus amandum alterum; vel ad amandum efficaciter unum, & inefficaciter alterum, si cum plena deliberatione, & libertate constituatur, potest pro libito suo elicere amorem circa unum, quin ullum amorem eliciat circa alterum, licet simul possit elicere amorem efficacem circa unum bonum contrarium, & amorem inefficacem circa alterum. Exinde autem nequaquam probatur necessitas, sed potius libertas ad quemcumque amorem erga utrumlibet. Qua de causâ beatitudo supernaturalis ita proposita, nequaquam cogit voluntatem ad unum amorem illius, etsi inefficacem.

DISPUTATIO VI.

DE CONSTITUTIVO SUPERNATURALIS BEATITUDINIS.

189. Duplex est beatitudo, altera formalis, & altera objectiva. Beatitudo objectiva est summum bonum, sive finis per se ultimus qui naturæ rationalis, expositus num. 6. Beatitudo formalis est possessio summi boni, quæ rationalis natura quieta, & satiata manet; sicut de fine quo diximus eo num. 6. Unde cum finis per se ultimus qui sit solus Deus O. M. Ut constat à num. 15. Exinde beatitudo nostrâ objectiva est solus Deus. Utrum possit dari beatitudo objectiva ex possessione, aut visione divinæ essentiæ absque visione personalitatum, sive, quod idem est, viso intuitivè Deo ut uno, & non viso intuitivè Deo ut trino, quaestio est infra à nobis decidenda. Præcipua in præsentî controversia exagitur de beatitudine formali, an nimirum consistat in solo actu intellectûs, an in actu solo voluntatis, an in utroque, vel in aliquo alio ab utroque distincto. Pro cuius resolutione sit

SECTIO I.

In quo consistat Beatitudo formalis?

190. Prima sententia docet beatitudinem formalem stare in quadam circumfessione, seu illa-
R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

psu divinitatis in animam beati, peculiariq; divinæ essentiæ unione cum illa. Ita Henric. Gandav. quodlib. 13. quaest. 12. Quamvis enim Vasquez 1. 2. disp. 8. neget Henricum beatitudinem nostram formalem in hujusmodi illapsu constituisse, vero similis tamen est, illum in hac fuisse sententia, cum Deum non in facultates tantum, seu potentias, intellectum scilicet, & voluntatem, quod fortè de operationibus intelligi possit, sed in ipsam animæ substantiam illabi affirmet. Secunda sententia docet beatitudinem nostram formalem in solo actu intellectûs, seu intuitiva Dei visionem esse. Ita communiter Thomistæ, Durandus, Vasquez, Tannerus, Gratadus, & alii tum antiqui, tam moderni. Tertia sententia econtra docet, consistere in solo actu voluntatis, amore scilicet amicitiae erga Deum intuitivè visum. Ita videtur sentire Scotus in 4. dist. 49. quaest. 4. & 5. quem in hoc sensu plures Scotistæ sequuntur. Quarta sententia docet, dari duplicem beatitudinem formalem, alteram quidem consistentem adæquatè in visione DEI; alteram verò consistentem adæquatè in amore DEI visi. Ita Ripaldâ disp. 110. de Ente super. sect. 3. Et ex ipso aliqui Recentiores. Quinta sententia

defendit consistere in utroque simul actu, tam intuitivæ visionis, quàm amoris. Ita S. Bonav. in 4. dist. 49. art. 1. quæst. 5. Exim. Doct. 1. 2. disp. 7. sect. 1. Valentia, Lessius, & alii, quos citat, & sequitur Borrul. Tum etiam ex Scotistis Pontius disp. 19. quæst. 2. Concl. 3. & Mastrius disp. 6. de Visione quæst. 12. artic. 1. docentes esse sententiam Scoti, eumque solum intendisse contra D. Thomam beatitudinem principaliter in solo amore, aut fruitione consistere.

391. Affero 1. Contra primam sententiam. Formalis beatitudo non stat in illapsu divinitatis in animam. Probatur 1. ex D. Thoma quæst. 3. art. 2. dicente: beatitudinem formalem sicut esse in aliqua operatione nostra: beatitudo enim formalis, ut desumitur ex Aristotele 1. Eth. cap. 9. debet esse ultima hominis perfectio: quod munus non convenit habitui, v. g. lumini gloriæ, quod primo, & per se, ordinatur non quidem ad ultimam perfectionem, sed formaliter ad operationem; aliter dormiens, cum habitus suos retineat, posset in somnis esse beatus, nullam exercens operationem, quâ beatus fit. Insuper beatitudo debet esse operatio ex genere suo perfectissima, immanens, vitalis, seu actuale exercitium vitæ, ut constat ex Scriptura, in qua beatitudo semper appellatur vita æterna. Atqui illapsus DEI in animam non est operatio nostra, sed operatio DEI; ergo beatitudo nostra formalis stare non potest in illo illapsu Dei in animam.

192. Probat. 2. Quia in explicabile est, in quo fitus sit hic illapsus in animam, qui eam reddat beatam: etenim intima præsentia ad hoc non sufficit, cum Deus etiam in hac vita sit omnibus hominibus intimè præsens, & Angelis quoque in vita, sicut intimè præsens; quos nihilominus per hoc non reddebat beatos; ergo nullus assignabilis est talis illapsus Dei in animam, in quo sita sit animæ beatitudo formalis. Confirmat. Talis illapsus consistere non potest in unione physica Dei cum anima; nulla quippe excogitari potest huiusmodi unio; illa enim nec esset substantialis, qualis est inter verbum divinum, & naturam humanam; nam sic Angeli, & Beati uniti essent Deo hypostaticè; quod est contra fidem juxta illud ad Hæbr. 2. *Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Rursus dici non potest hanc unionem esse accidentalem; cum nullum accidens supernaturale uniatur substantiæ Beatorum, præter gratiam habitualem, & lumen gloriæ, & alia accidentia, ab ipsis pendencia. In lumine autem gloriæ, gratia habituali, aut in eorum unione nequit talis illapsus ab adversariis excogitatus consistere; cum ea sit unio cum re creata; ergo &c.

393. Affero 2. Cum prima sententia. Beatitudo nostra formalis concretè, & adæquatè sumpta non stat in solo actu intellectus, sive visionis intuitivæ, neque in solo actu voluntatis,

sive amoris à visione pendens: sed simul in actu intellectus, & voluntatis. Prob. 1. Beatitudo nostra formalis quandoque in Scriptura explicatur per visionem: aliquando vero per amorem: aliquando per utrumque simul actum; ergo concretè, & adæquatè sumpta non solum in solo actu intellectus, aut in solo actu voluntatis; sed utrumque simul complectitur. Consequentia videtur legitima; quando enim Scripturæ testimonia possunt rectè conciliari, atinet ad Theologum eorum conciliatio, ut in simili diximus de Prov. num. 837. De DEO. Antecedens verò patet: quia in prima testimoniorum classe per expressionem visionis proponitur beatitudo formalis. Sic Matth. 5. *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Et 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in caelis est.* Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant se solum Deum verum.* Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem faciem ad faciem.* Unde Augustinus lib. de Spiritu & Litt. cap. 22. ait: *Illam cognitionem, illam visionem, illam contemplationem desiderat bonis anima desiderium.* Et 1. Joan. 3. *Sciatis quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicut est.* Unde Concilium Francofordiense in Epist. ad Episcop. Hisp. hæc habet de Christo: *Prædicamus eum DEUM verum, & vivum, ac verè DEI filium; ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est vera beatitudo, & beata æternitas.*

In secunda testimoniorum classe explicatur beatitudo per actum amoris. Sic Matth. 15. dicitur de Anima Beata: *Intra in gaudium Domini tui.* Unde Augustinus lib. 10. Confess. cap. 22. ait: *Ipsa est vita beata, gaudere in te, de te, propter te.* Et lib. 8. de Civ. cap. 9. *Quisquis fruatur eo, quod amat, utrumque summum bonum amat, quis cum beatorum, nisi miserimus, negat?* Tum etiam Joan. 15. *Premium bonorum operum vocatur gaudium: Ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum sit plenum.* Et cap. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis:* Tum etiam beatitudo ad spiritualem delectationem refertur, cum Luc. 22. explicatur per voluntatem cibi, & potus: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Tandem in tertia testimoniorum classe Scriptura, & PP. per utrumque simul actum explicat beatitudinem. Sic Psal. 35. *Torrente voluptatis tue potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Unde plures SS. PP. ad rationem & essentiam beatitudinis ita utrumque simul actum aliquando expressè requirunt, ut si alter desit, non possit homo dici beatus. Quod præ ceteris exprimit Augustin. lib. 1. de Morib. Eccl. c. 3. dicens: *Beatorum illorum non est,*

qui non habet, quod amat, qualecumque illud sit; nec qui quod habet, non amat: etsi optimum sit: sed beatam vitam tunc inveniri, quando id, quod est hominis optimum & habetur, & amatur: & Bernard. Epist. 18. Si enim absentes inchoat fides, & desiderium; presentes profectio consumat intellectus, & amor. Et paucis interjectis docet, cognitionem, & delectationem veritatis duo esse animæ brachia, quibus beatus Deum amplectitur, apprehenditque, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Tandem Bened. XI. in Extrav. quam refert Castro v. Beatitudo Hæres. 6. de animabus sanctis, quæ ex hac vita migrarunt, ait: *Visionem, & fruitionem Dei esse beatas.* Unde Cathed. Rom. exponens ultimum symboli articulum, hæc habet: *Solida beatitudo, quam essentialiter communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis, ac perfectionis fons, & principium.*

196. Confir. 1. Plura Scripturæ, & SS. PP. testimonia expriment beatitudinem per actum intellectus, plura alia per actum voluntatis; alia verò declarant non stare in solo actu intellectus, neque in solo actu voluntatis: sed in utroque simul, ut ex num. 193. Ergo illa Testimonia, quæ reponunt beatitudinem in actu intellectus, aut ea, quæ illam constituunt in actu voluntatis, non agunt de beatitudine adæquatè, aut in concreto sumpta, sed de beatitudine inadæquatè, aut in abstracto accepta; aliter testimonia illa sibi adinvicem opponerentur, quod nefas est dicere; ac proinde beatitudo concretè, & adæquatè sumpta reponenda non est in solo actu intellectus: neque in solo actu voluntatis, sed in utroque simul.

197. Confir. 2. & explicatur hæc ratio fundamentalis. Testimonia Scripturæ quoad apparentiam opposita, cum revera opposita non sint, debent à Theologis in sensu verò explicari; ita ut per veram, & propriam locutionem possint exponi: atqui si beatitudo concretè, & adæquatè sumpta constituatur simul ex actu intellectus, & voluntatis, haberi potest vera, & propria expositio earum locutionum; secus autem, si in solo actu intellectus, aut in solo actu voluntatis beatitudo reponatur; ergo &c. Major & consequentia tenent. Minor autem probatur. Beatitudo concretè accepta, & essentialiter constituta ex actibus intellectus, & voluntatis, tripliciter sumi potest, sicut & reliqua alia concreta, nimirum vel ut expressiva; & sic solum dicit essentialiter in recto actum intellectus, ut asserunt testimonia primæ classis; vel ut affectiva, & sic solum dicit essentialiter in recto actum voluntatis, ut testimonia secundæ classis expriment; vel concretivè, & sic utrumque dicit essentialiter in recto, ut ajunt tertiæ classis testimonia; ergo &c.

198. Confir. 3. Si concretum istud album ex Petro simul, & albedine constitutum non diceret concretè, & adæquatè sumptum Petrum simul, & albedinem, non possent conciliari pro-

positiones veræ apud omnes Philosophos, in quibus concretum aliquando sumitur pro subiecto solo essentialiter, & in recto, ut in ista propositione, *Petrus est albus*, in qua solus Petrus dicitur essentialiter, & in recto; cum id, quod dealbatur, non sit albedo, sed Petrus, ut in simili diximus num. 837. de Deo. Aliquando verò pro sola forma essentialiter, & in recto, ut in ista, *Album est disgregativum visus*, in qua disgregativum est sola albedo, nam quod disgregat visum, non est Petrus, sed albedo: aliquando verò pro omnibus partibus simul, ut in ista: *album est concretum, vel album est Petrus, albedo, & uno.* Etenim neque solus Petrus, neque sola albedo, est concretum illud, sed ambo simul. Facile autem locutiones istæ conciliantur ex eo, quod concretum istud album includit ea omnia, concretè, & adæquatè sumptum; cum hujusmodi concreta ex usu hominum, penes quos est jus, & norma loquendi, eos omnes veros sensus recipiant: sed idem evenit in casu nostro ex Scripturæ, PP. & Theologorum, sumentium beatitudinem aliquando concretivè, aliquando expressivè, aliquando affectivè, ut constat ex testimoniis num. 193. ergo &c.

Resp. 1. Thomistæ, & Scotistæ; illi quidem, ea testimonia facile conciliari, quin beatitudo constituatur ex utroque simul actu, dicendo primæ classis testimonia loqui de beatitudine essentialiter sumpta; alia verò de beatitudine integraliter, aut proprietativè accepta. Scotistæ verò è contra respondent omnia ea testimonia conciliari dicendo in secunda classe sermonem esse de beatitudine essentialiter sumpta: in prima verò & tertia de beatitudine integraliter, aut proprietativè accepta. Contra tamen primò. Sicut testimonia primæ classis expriment absolute beatitudinem, nec verbum quidem superaddunt de proprietate, aut integritate: ita etiam testimonia secundæ & tertiæ classis, ut constat ex num. 193. & 194. Ergo si primæ classis testimonia intelliguntur de beatitudine essentialiter sumpta, ita etiam testimonia secundæ classis, & è converso. Contra secundò. Quando testimonia Scripturæ possunt intelligi in rigoroso, & proprio sensu, debent in eo explicari, ut habent omnes Theologi cum Augustino. Sed in casu nostro ita possunt intelligi, imò & debent; cum aliqua ex illis testimoniis doceant sine utroque actu nullum esse beatum, & in utroque stare essentialem beatitudinem, ut constat ex num. 195. ergo &c.

Resp. 2. Aliqui Recentiores cum Vasquez 2007
1. 2. disp. 11. c. 3. Testimonia Scripturæ, & P. P. à nobis adducta solum probare id, quod de facto habent Beati; nimirum & visionem, & amorem: non autem posse ex illis inferri alter, vel uterque actus simul sit de essentia metaphysica; cum quæstiones de essentia metaphysica non sint definitæ in Scriptura, sed Scholasticis relinquuntur. Contra tamen primò.
Mm 3 Quando

Quando Scriptura, & P. P. expriment quid res aliqua sit, necessario innuunt, quae sit ejus essentia; cum esse rei sit ipsa rei essentia: atqui in testimoniis adductis, non solum expriment beatitudinem esse actum visionis, sed etiam esse actum amoris: ergo adaequata essentia beatitudinis utrumque actum includit.

201. Contra 2. Licet Scriptura non exprimat terminis scholasticis beatitudinis constitutum, declarant tamen beatitudinis naturam, & significatum, quod quidem adimpleri debet ad alligandam scholasticè veram essentiam metaphysicam, ut de essentia Dei diximus à num. 91. de DEO. Atqui ad adimplendum illud significatum non satis est solus actus intellectus, aut solus actus voluntatis: sed uterque requiritur, ut constat ex dictis; ergo &c. Contra 3. Verba Scripturae intelligenda sunt, ut sonant in rigoroso, & proprio sensu, quando nulla adest ratio in contrarium, ut diximus num. 199. sed nulla adest ratio in contrarium, ut dicamus beatitudinem stare in solo actu intellectus, aut in solo actu voluntatis; quinimò ipsa ratio probat, stare in utroque, ut constabit à num. 204. ergo &c.

202. Resp. 3. ex Ripalda testimonia Scripturae, & P. P. melius explicari, dicendo solum actum visionis sufficere ad veram beatitudinem, atque solum etiam actum amoris. Unde in quocumque seorsim sumpto stabit adaequata, & vera beatitudo. Contra tamen primò. Nulla testimonia Scripturae explicari Catholicè possunt in sensu, in quo cum aliis Scripturae testimoniis conciliari non possint; atqui talis explicatio adducta ab adversario conciliari non posset cum testimoniis tertiae classis datis num. 195. Quandoquidem in illis dicitur beatitudinem utrumque actum includere; nullumque esse beatum sine utroque actu; ergo &c. Contra 2. Quamvis istae locutiones frequentes sint apud Philosophos, *homo est animal, homo est rationalis, homo est animal rationale*, non exinde arguitur solum animal, aut solum rationale esse de essentiali, & adaequato hominis constitutivo: imò ex eo, quod sit non minus essentialis, quam aliae duae propositiones, ista tertia propositio, *homo est animal rationale*, ut aliae cum ista conciliantur dici debet, duas priores propositiones attingere essentiam inadaequatam: tertiam vero attingere essentiam adaequatam: sed hoc ipsum contingit in casu nostro, ut constat ex dictis; ergo &c.

203. Prob. 2. conclusio ex D. Thoma, nam licet, quando loquitur de beatitudine abstractè, & inadaequatè accepta eam exprimat per visionem, at quando loquitur de illa concretè, & adaequatè sumpta, docet amorem esse essentialem beatitudini; ergo &c. Prob. ant. ex 1. 2. q. 1. art. 8. in corp. ubi ait: *Homo & alia rationales creatura consequuntur ultimum finem cognoscendo, & amando Deum, & q. 4. art. 8. ad 3. Perfectio charitatis est essentialis beatitudini, quantum ad dilectionem Dei. & 2. 2. q. 27.*

art. 6. ad 3. *Actus charitatis habet rationem finis; quia ultimum bonum hominis consistit in hoc, quod anima Deo inhaereat; in Comp. Theologiae p. 2. c. 9. Perfecta beatitudo creaturae est in eo, quod Deo semper inhaereat cognoscendo, & amando.* Tandem in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. in corp. *Dicendum, quod premium essentialiter hominis, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione anime ad Deum, in quantum eo perfecte fruatur, ut visio, & amato perfecte.* Haec enim testimonia adeò clara sunt, ut expositione non indigeant; ergo &c.

Prob. 3. Ratione. Illa est beatitudo formalis essentialiter sumpta, qua Deus ut objectum beatificum formaliter beat creaturam rationalem; atqui Deus ut objectum beatificum formaliter beat creaturam rationalem per actum simul intellectus, & voluntatis; ergo &c. Consequentia tenet, & major patet: quia sicut visio formalis est illa, qua objectum formaliter denominatur visum, ita beatitudo formalis est illa, qua objectum formaliter denominatur beatus. Minor verò probatur. Deus ut objectum formaliter beatus, est summa, & vera bonitas à creatura amicitabiliter habita, & possessa: etenim si non esset summa bonitas, sed finita, & limitata, non posset excludere à creatura rationali omnem miseriam, ac proinde nec efficere beatam: si autem non esset bonitas vera, sed apparens, non posset verè, sed solum apparenter reddere beatam creaturam: atqui objectum formaliter beatus, prout est summa, & vera bonitas habita, & possessa beat per actum simul intellectus, & voluntatis: ut verum quippe non habetur per actum voluntatis, sed per actum intellectus: & ut bonum non habetur per actum intellectus, sed per actum voluntatis; ergo &c.

Resp. Conterus, Deum ut objectum beatus esse verum, & summum bonum: cum hoc tamen discrimine, quod veritas est ratio formalis sub qua: bonitas verò non est ratio sub qua, sed ratio formalis qua; nam intellectus beatus non solum intelligit rationem veri, sed etiam rationem entis, & boni, aliasque entis formalitates, ac proinde beatus per visionem non solum assequitur veritatem Dei, sed etiam ejus bonitatem, pulchritudinem, suavitatem, omnesque alias formalitates, & perfectiones divinas: at cum illas attingat sub ratione veri, exinde veritas est ratio formalis sub qua; bonitas verò est solum ratio formalis qua. Quorum omnium ratio est, quia ea est ratio formalis sub qua, ratione cuius beatus assequitur, & possidet Deum objectum beatificum: Deum autem non possidet, aut assequitur per voluntatem, sed per intellectum; cum solus intellectus trahat ad se objecta, ac proinde ea possideat, & assequatur; voluntas verò non trahat, sed feratur in objectum; ac proinde non assequatur aut possideat, sed potius possideatur ab objecto.

Contra tamen primò. Deus ut objectum beatus non solum complectitur bonitatem cognitam,

nitam, sed etiam bonitatem amatam; ergo non solum complectitur bonitatem tamquam rationem formalem *qua*, sed etiam tamquam rationem formalem *sub qua*. Probatur antecedens. Bonitas cognita non sufficit ad beandum, nisi sit bonitas illius, quem amamus. Sic bonitas cognita in inimico, & felicitas ab ipso habita, non affert cognoscenti felicitatem, sed potius tristitiam, & invidiam: ergo Deus ut objectum beans non solum complectitur bonitatem cognitam, sed etiam amatam à beato. Contrà secundo. Intellectum trahere ad se objectum, non significat, quòd objectum, ut est, in se afferat intellectus, & intra se ipsum recludat; aliter qui simul cognosceret assensum, & dissensum ejusdem objecti, haberet simul in intellectu ejusdem rei assensum, & dissensum. Et qui cognosceret intensissimum dolorem, haberet in intellectu dolorem valde intensum, & sic de millenis aliis figmentis. Solum enim significat, quòd intellectus cognoscendo elicit cognitionem, quæ est expressio, & imago objecti; in qua videt objectum representatum; & quia habet intra se ipsam cognitionem, dicitur habere intra se objectum representativè. Voluntas vero amando non elicit expressionem, seu representationem objecti, sed amorem, qui est pondus, quo voluntas non vult recedere, sed accedere ad objectum, juxta illud Bernardi: *Amor meus, pondus meum*. Et quia suo pondere ducitur in objectum; exinde voluntas dicitur ferri in objectum; atqui voluntatem duci suo pondere ad acquirendum, habendum, seu possidendum objectum, non excludit, imò arguit firmiorem affectionem, & possessionem objecti; ergo &c.

307. Contrà 3. & roboratur magis hæc ratio. Licet serpens suo halitu trahat alites ad comedendum: homo verò non attrahat, sed ex sua voluntate feratur spontaneè ad eas capiendas; & comedendas, non exinde diceretur bene, quòd serpens posset assequi, & possidere aves, & quòd homo non posset; ergo licet esset verum, quòd intellectus traheret ad se objecta; & quòd voluntas ferretur in illa, non exinde esset verum dicere, quòd intellectus solus posset assequi, & possidere objecta; & quòd voluntas non posset. Contrà quarto. Multò magis necessitatur intellectus Beati ad visionem intuitivam, quam voluntas ad amorem; cum intellectus omnino necessariò tendat; voluntas vero tendat spontaneè, sine libertate quidem à necessitate, at cum libertate à coactione; ergo potiori titulo convenit voluntati, quam intellectui, assequi, & possidere objectum. Contrà 5. Non minus possessio, & affectio affectiva est propria voluntatis, quam possessio, & affectio expressiva sit propria intellectus: etenim isti duo actus, ut aiebat Bernardus num. 195. sunt quasi duo animæ brachia, quibus complectitur Deum ut objectum suum beatificans: sic Sponsa Agni Deum per amorem complectebatur cant. 3. quando aiebat: *Inveni, quem diligit anima*

mea: tenui eum, nec dimittam. Ergo actui voluntatis convenit ratio assequendi, & possidendi Deum.

208. Probatur 4. conclusio; beatitudo formalis essentialiter sumpta est illa, qua creatura rationalis ita obrinet Deum objectum beatificans, ut omnino quieta, & satiata maneat: atqui neque per solam visionem, neque per solum amorem manet creatura rationalis ita quieta, & satiata, sed per utrumque simul; ergo &c. Probatur minor. Creatura rationalis non solum complectitur virtutem intellectivam, sed etiam voluntivam: atqui ut quieta, & satiata maneat potentia voluntiva, non sufficit visio: neque ut quieta, & satiata maneat potentia intellectiva, sufficit amor: at uterque simul actus sufficit, ut utraque potentia maneat quieta, & satiata; ergo &c. Confir. beatitudo in Sacris Litteris non minus dicitur. *Gaudium*, quàm *visio*, ut constat ex num. 194. ergo non minus est satisfactiva potentia rationalis quàm voluntiva, quàm potentia rationalis quàm intellectiva, ac proinde non minus comprehendit actum amoris, quàm actum visionis.

SECTIO II.

Illationes de Essentia, & Proprietatibus Beatitudinis.

209. EX dictis fit primò. Deum esse objectum summi gaudii in patria, non quidem ut nobis bonum; sive ut amatum amore concupiscentiæ, sed ut sibi bonum, sive ut amatum amore amicitia. Ratio est, quia Beati in Patria amant Deum incomparabiliter magis, quàm se ipsos: atqui lumine naturæ; & experienciâ ipsa notum est, nobis dulcius & suavius esse gaudium, quòd major est bonitas possessa, quam amamus. Etenim ut habet Ansel. c. 25. Prolog. *Quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet*. Ergo Beati in Patria magis gaudent de bonitate Dei, prout ab ipso Deo possessa, quàm de sua; aliorumque omnium felicitate. Quapropter licet visio beatifica non solum proponat Deum ut ipsi bonum, sed etiam ut bonum, & ut possidendam in æternum ab ipso Beato, ut constabit à num. 217. At primarius actus constitutivus beatitudinis non stat in amore Dei ut boni ipsi Beato, sed ut boni ipsi Deo.

210. Fit 2. Actum amoris Beatorum erga Deum in Patria non solum esse actum amicitia affectivæ, qualis dari potest inter servum, & dominum, sed amicitia effectivæ, qualis dari potest inter filium adoptivum, & patrem. Unde cum ratione amicitia amicorum bona sint communia, exinde Beati divinam felicitatem tamquam propriam considerant: ut enim sæpe repetit Aristoteles, *Amicus est alter ego*. Quapropter ex divina felicitate manent Beati quasi Deificati, & quasi in divinam imaginem transformati, juxta illud Paul. 2. Cor. 3. *Nos vero omnes revelatâ facie*

facie gloriã Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. Quo fit, ut Beati videntes Deum, quem ardentè, & amicabiliter amant, advertentes ipsum summam felicitatem possidere, per illum ipsum actum gaudii, refundunt in se ipsos delectabilitatem, arque jucunditatem, quasi si illa summa bonitas esset ipsorum propria. Id circo solus actus amicitie erga ens felicissimum superadditus intuitivæ visioni, tribuere potest beatis excellentissimam felicitatem. Et multò majorem, quam tribuerent omnia bona, quæ in se ipsis immediatè possiderent: nec possunt habere gaudium illi simile. Etenim ut ait Aristoteles, *tunc gaudeamus, quando sicut volumus, fit*: ut Deo bene sit: & per illam visionem clarè vident, Deo summè bene esse. Ergo in illo actu amicitie habent summum suum gaudium.

211. Fit 3. Illum amoris actum à visione intuitiva pendente, quo Beati summè gaudent de bonis Dei, esse etiam fruitionem, sive, ut ait Scotus, *amorem fructivum*. Ratio est, quia amor Beatorum erga Deum pendens à visione intuitiva, supponit visionem infiniti boni à Deo possessi: arque aded est affectus erga bonum præsens, ut præsens, & non sola velleitas: atqui affectus ex bono præsentis ut præsentis conceptus est gaudium, & amor fructivus; ergo ille amor beatificus, est amor fructivus, quo Beati sibi complacent in eo, quòd Deus summè dilectus fruatur infinitis bonis suis. Unde beatitudo hæc tria complectitur, *visionem, amorem, & gaudium fructivum de bonis Dei*. Cæterum quia amor, & gaudium istud in illo actu amicitie erga Deum sunt realiter idem, exinde reponimus supernaturalem beatitudinem in his duobus actibus, nimirum in *visione intuitiva, & amore*, qui simul est gaudium & perfectissima fructio summi boni.

212. Fit 4. Non esse facile definire, quisnam ex his duobus actibus sit nobilior præ altero. Ratio est, quia in pluribus se habent tamquam excedens, & excessum. Visio enim intuitiva excedit amorem, propter hæc sua prædicata. 1. Quia est radix, & causa gaudii, seu amoris fructivi. 2. Quia amor pendet à visione præcedenti, non è contra. 3. Quia visio est similitudo objecti visi, qua Beatus sit similis Deo. Quæ ratio assimilandi amori non convenit. 4. Quia sicut intellectus apparet nobilior voluntate; ita optima intellectus operatio, quæ est visio intuitiva Dei, aliquam debet habere nobilitatem supra optimam voluntatis operationem, quæ est amor fructivus. 5. Quia Deus in patria magis glorificari videtur extrinsece per visionem, qua cognoscitur infinite perfectus, quam per amorem: gloria enim extrinsecè definiti solet: *Clava notitia de aliquo*. Qua de causa homines in ratione finis magis cognosci volunt ut excellentes, quam amari propter excellentiam. Et ipse Deus, qui se permittit non amari, sed odio haberi à damnatis, per penas cogit eos ad co-

gnoscendum Deum ut perfectissimum, potentissimum, & justissimum. Ex quibus omnibus prædicatis visio se habet, tamquam excedens respectu amoris fructivi.

Amor autem beatificus propter alia prædicata se habet etiam tamquam excedens respectu visionis. 1. Quia voluntas ex genere suo videtur nobilior potentia, quam intellectus: quandoquidem operatur liberè cum dominio suorum actuum: ita ut etiam ipsi intellectui imperet, ac dominetur. 2. Quia amor naturalis Dei est perfectior quacumque cognitione naturali Dei: ergo amor supernaturalis erit nobilior quacumque cognitione supernaturali. 3. Quia actus, & habitus patriæ videntur se habere proportionaliter, sicut actus, & habitus viæ. Sed in via actus, habitusque charitatis sunt perfectiores actibus, & habitu fidei, juxta illud Paul. 1. Cor. 13. *Tria hæc, fides, spes, charitas: major autem horum est charitas*. Ergo etiam in patria actus, & habitus charitatis erunt nobiliores actibus, & habitibus intellectus. 4. Quia visio ordinatur ad amorem tamquam ad finem, & non e contra: sed finis nobilior est mediis ducentibus ad ipsum; ergo &c.

5. Quia ut habet Anselm. lib. 2. Cur Deus homo. c. 1. *Perversus ordo est amare, ut intelligas: rectissimus verò intelligere, ut ames*. Qua de causa meliores efficitur amando, quam cognoscendo Deum: & pejores odio habendo, quam non cognoscendo; ergo amor est nobilior cognitione. 6. Ordo Seraphinorum excedit ordinem Cherubinorum, eò quòd ordo Cherubinorum habetur ex eminentia scientiæ: ordo verò Seraphinorum ex eminentia amoris. Unde Bernardus Luciferum alloquens ait: *Bonum erat tibi, si ignifer magis esses. quam Lucifer*: Sic etiam D. Thom. 1. Part. quest. 108. art. 6. distinguens ordines Angelorum Beatorum dicit, supremum ordinem denominatum esse ab amore, quo Deo uniuntur; ait enim: *Seraphim verò excellunt in hoc, quòd est omnium supremum, scilicet Deo ipsi uniri*. Et ibi ad tertium. *Inferiorum quidem cognitio præminet dilectioni: superiorum autem dilectio, & præcipue Dei præminet cognitioni*. Ex quibus constat amorem beatificum non esse absolute minùs perfectum intuitivæ visioni, sed ad minus se habere tamquam excedens, & excessum.

Fit 5. Beatitudinem formalem concretè, & adæquatè sumptam stare in nobilissima operatione, non quidem in nobilissima unius solius potentie, sed utriusque potentie, intellectivæ nimirum, & volitivæ. Unde cum nobilissima operatio potentie intellectivæ sit visio intuitiva Dei, & nobilissima operatio potentie volitivæ sit amor à visione pendens. Uterque actus constituit adæquatam beatitudinem formalem. Quapropter licet visio esset, penitentis omnibus, absolute perfectior amore; non exinde excludendus esset amor à constitutivo for-

formalis beatitudinis. Pariter licet amor, pensatis omnibus, esset absolute perfectior visione, non exinde excludenda foret visio à constitutivo formalis beatitudinis.

116. Explicatur exemplo. In homine quippe formalitas animalis, licet sit ignobilior formalitate rationalis, non exinde excludi potest à constitutivo essentiae metaphysicae hominis. Sic etiam apud ipsos adversarios, re-velatio creata quantumvis sit multo ignobilior veritate, & veracitate divina, non exinde excludi potest à formali constitutivo objecti formalis fidei divinae. Ratio omnium est, quia homo ut homo non solum comprehenditur virtutem discursivam, sed etiam sensitivam, ac proinde non solum includit constitutive formalitatem rationalis, sed etiam animalis: pariter objectum formale fidei divinae non solum includit auctoritatem, sed loquentem, & testificantem, quae absque locutione, & testimonio haberi non potest; atqui etiam beatitudo formalis creaturae rationalis; non solum est satisfactiva unius, sed utriusque facultatis rationalis, intellectivae nimirum, & volitivae per nobilissimas earum operationes: ergo includit constitutive utramque nobilissimam operationem. Unde sicut aliae formalitates distinctae ab animali, & rationali non spectant in homine ad essentialem constitutum, sed ad illius proprietates: ita in beatitudine formali aliae operationes ab intuitione DEI, & amore fructivo amabili distinctae non pertinent ad essentiam, sed ad beatitudinis proprietates.

117. Fit 6. Visionem intuitivam constitutive beatitudinis formalis, non solum videre DEUM intuitivè in se ipso, sed etiam ut singularissimo affectu creaturam complectentem, eamque per totam aeternitatem ad amicitiales amplexus admittentem. Unde fit, visionem illam intuitivam, certificare beatum de aeterna sua beatitudine, ac proinde movere voluntatem beati ad duplicem affectum. Alterum quidem amicitiae, & alterum concupiscentiae. Beatum verò cognoscentem summam illam bonitatem usque ad aeternas summas illas delicias erga ipsum diffusam prorumpere in ardentissimum amicitiae amorem, quae est primaria, atque nobilior voluntatis operatio. Tum etiam prorumpere in amorem concupiscentiae, quae est operatio secundaria, & minus nobilis, sive proprietas beatitudinis. Exinde representatio intuitiva objecti DEO, & creaturae boni, quod quidem est divina bonitas, sive finis qui, & per se ultimus creaturae, est de essentia beatitudinis, licet amor non requirat ferri in utramque formalitatem amicitiae, & concupiscentiae; sed sat illi sit formalitas amicitiae ad essentialem af-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

fectivam beatitudinem. Sic in via per actu fidei, quasi per speculum in aenigmate cognoscimus DEUM ut bonum sibi, & non solum, necessitate mediis ad salutem, ex illo Paul. ad Hebr. 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Nihilominus ad eliciendum nobilissimum actum viae, cui promissa est justificatio, satis est, elicere amorem amicabilem, sive charitatis actum, cui, & non alii, est justificatio extra Sacramentum promissa.

218. Quapropter licet amor beatificus, qui amori nobilissimo viae succedit, non sit amor concupiscentiae, sed amor charitatis; visio verò intuitiva, quae fidei succedit, non solum representat objectum divinum, ut potens terminare actum charitatis, sed ut potens etiam terminare actum concupiscentiae. Neque hoc representat praescindendo à duratione, sed ut non amittendum per totam aeternitatem. Ratio est, quia si illa visio intuitiva non ita representaret objectum beatificum, relinqueret videndum anxium, & inquietum, quod ut constat ipso naturae lumine, est contra rationem beatitudinis. Unde Augustinus lib. 10. de Civ. c. 30. loquens de vita Beatorum, ait: *Quae beatissima esse, non poterit nisi de sua fuerit aeternitate certissima.* Et lib. 11. cap. 11. *Quapropter quamvis non quidquid aeternum, continuo beatum sit, dicitur enim etiam penalis ignis aeternus; tamen si verè, perfectèque beata vita, non nisi aeterna est.* Unde de Angelis malis loquens; ita subjungit. *Non eratis istorum vita beata, quia quandoque destituta, & propterea non aeterna, sive id scirent, sive nescientes aliud putarent: quia scientes timor, nescientes error Beatos esse utique non simulat.* Quapropter cum error non stet in carentia cujuscumque cognitionis, sed cognitionis quidem debitae; ea de causa ex doctrina Augustini cognitio constitutiva beatitudinis est recta cognitio debita de felicitate in aeternum duratura. Exinde

219. Fit 7. Beatos cognoscere etiam omnia objecta ad statum suum pertinentia, ut habet D. Thomas 3. Part. quaest. 10. art. 2. Unde vident in verbo amicorum, & consanguineorum prosperos, vel adversos eventus. Parentes vident, quidquid spectat ad familiam. Fundatores religionum, quae ad earum bonum, aut malum statum pertinent. Ratio est, quia haec omnia cadunt sub rationabili Beatorum desiderio, quod ibi omnino quietum manet, & satisfiatum. Ideo Concilium Senonense Decr. 13. ait: *Beatis esse uniforme illud divinitatis speculum, in quo quidquid illorum interest, e-lucescit.* Exinde vident intuitivè in Patria, quae per fidem crediderunt in via, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, &c. Sic Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 21. *Ibi videbimus, & gaudebit nostrum.* Nec

Nu expresa

expressit quid videbimus, sed quid nisi Deum, ut impleatur in nobis promissum Evangelicum, beati mando corde, quoniam ipsi Deum videbunt? Et omnia illa, quae nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humana longè minus, quam sunt, atque incomparabiliter cogitamus? Hec videbitis inquit, & gaudebit cor vestrum. Hic creditis, ibi videbitis.

220. Quapropter Beati videbunt etiam, quidquid omnes docti per scientias naturales agnoverunt; cum hoc illi statui valde consentaneum sit. Quo in sensu intelliguntur Bernardus Lib. de Tripl. Gen. Bonor. dicens: *Hec sapientia, qua omnia, quae in caelo, & in terra sunt, perfectissime cognoscemus: in ipso fonte sapientiae rerum omnium cognitionem bibentes.* Et Greg. lib. 13. Mor. c. 13. *Quia intus claritatem omnipotentis Dei vident, nullo modo credendum est, esse aliquod, quod ignorent.* Quod quidem valde conforme est Scripturae dicenti Pl. 47. *Sunt audivimus, sic vidimus in civitate Dei virtutem, in civitate Dei nostri.* Et 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate: Tunc autem facie ad faciem.* Exinde licet Beati non videant omnes creaturas posibles; cum hoc intellectui limitato impossibile prorsus sit ex num. 159. At tot, & tanta objecta videbunt, quot necessaria erunt, ne notitia ulla ipsorum statui consentanea praeferat.

221. Fit 8. Beatos habere non posse peccatum, errorem, aut ignorantiam strictè sumptam. Ratio est, quia per intuitivam visionem proponitur illis ita clarè divina bonitas, ut eos necessariò rapiat in ferventissimum, & spontaneum Dei amorem, qui libertatem non relinquit ad peccandum. Tum quia peccatum est naturae ut rationali difforme, ac proinde est objectum prudentis aversionis voluntatis. Ob eandem causam error, cum sit etiam naturae ut rationali difformis, terminat quoque justam aversionem. Ad eum enim modum, quo affectus pravus opponitur rectitudini voluntatis, error etiam opponitur rectitudini intellectus: & cum utraque sit naturae rationalis, exinde peccatum, & error opponuntur naturae ut rationali, ideòque eorum fuga cadit sub naturali Bearorum desiderio, quod quidem cum in beatitudine quiescit sit, & satiatum, componi non potest cum peccato, & errore: neque Deus deturpare per se potest naturam ut rationalem, errorem, aut peccatum illi infundendo. Pariter cum ignorantia strictè sumpta non solum significet carentiam scientiae, sed carentiam cognitionis debitae, & cognitio debita cadat sub naturali desiderio satiatio in Beatis, exinde ignorantia strictè sumpta componi non potest cum statu beatitudinis.

222. Fit 9. Mala purè physica, quae causa sunt majoris lucri, aut meriti, ac proinde non sunt aut virtuti, aut naturae ut rationali con-

traria, posse componi cum beatitudine per aliquod tempus; secus autem per aeternitatem. Ratio est, quia Deus se communicans Beato, nullo quidem odio, aut aversione, sed pura potius, aut benevolentia, aut effectu valde amicabile sese offert ad creaturae fructualem: atqui est contra rationem illius magnae benevolentiae, aut fruentis amicitiae, quod amicus amicum vexet sine lucro, & absque intentione, quòd tandem aliquando perveniat ad plenam quietem, & tranquillitatem expertem ulterioris vexationis; licet non sit contra rationem amicitiae, ut amicus ad tempus vexetur ad habendum majus meritum, seu magnum lucrum, ut patet in Christo Domino, qui usque ad mortem fuit simul beatus, & viator; habuitque angorem, & tristitiam simul cum beatitudine, plurimasque alias poenas perpeffus fuit ad merendam humani generis redemptionem, & ad dimitendas postea poenaltates, vitamque purè beatam per totam aeternitatem agendam; ut latè dicitur in Tractatu de Incarnatione, cum agitur de perfectionibus Christi. Ergo mala purè physica, quae sunt causa majoris lucri, possunt per aliquod tempus componi cum beatitudine; secus autem per aeternitatem.

Fit 10. Visionem intuitivam, quam possibilem adstruunt Durandus, & alii, quos in praesenti refert Exim. Doctor disp. 14. sect. 3. qua nimirum creatura videat Deum intuitivè, quin repraesentet peperitatem felicitatis; adeòque possit amitti, postquam habita fuit: & exinde creatura, quae semel vidit intuitivè Deum, possit manere misera, aut damnata in aeternum: talem quidem reverà esse impossibilem. Ratio communis est; quia visio intuitiva Dei est possessio propria filii, qua admittitur ad haereditatem paternam, & cum qua peccare non potest, ut constat ex saepe dictis: sed haereditas paterna Dei semel naturae rationali concessa, essentialiter exigit non auferri; est enim maximum Dei donum; dona autem Dei semel collata non auferuntur absque culpa, & pro solo libito Dei, ex illo Pauli ad Rom. 11. *Absque poenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.* Lulus enim ille auguratorius dandi, & auferendi absque culpa valde alienus est à majestate Dei. Unde communis sententia docet, neque Paulum, neque ullam puram creaturam vidisse unquam in via intuitivè Deum, juxta illud Dei ad Moysen Exod. 33. *Non enim videbit me homo, & vivet.* Quinimò si talis visio possibilis adstruatur, nunquam à Deo auferretur, nisi habenda foret iterum, & in aeternum cum majori lucro, quod saltem indicant adducta testimonia. Unde si visio illius naturae non esset, neque esset sufficiens ad constituendam beatitudinem.

Fit 11. Visionem Dei intuitivam non adstruere aeternam sui durationem. Ratio est, quia

quia cum intrinsicè sit supernaturalis, est essentialiter vera, atque adeò si æternam sui durationem affirmaret, esset essentialiter indestruibilis, quod est contra rationem creaturæ limitatæ: solus enim DEUS habet essentialiter immortalitatem, seu indestruibilitatem, ex illo 1. ad Timoth. 6. *Beatus & solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium; qui solus habet immortalitatem.* Quapropter sicut est chymærica creatura, quæ essentialiter exigeret produci à Deo ab æterno, quamvis posset destrui in tempore; aliter producta jam fuisset contra fidem, qua docemur, omnia in tempore producta esse: ita est impossibilis creatura, quæ ex suis prædicatis, licet possit non produci à DEO in tempore, at si produceretur, non possit destrui à Deo in æternum.

Unde visio illa solum affirmat, quòd Beatus habebit per totam æternitatem, sive illam, sive aliam similem visionem, ex qua affirmatione nulla inferitur indestruibilitas essentialis illius determinatæ visionis.

225. Fit 12. Formalem beatitudinem esse intimam intentionalem unionem creaturæ rationalis cum DEO, quæ creatura ad DEI fruitionem admittitur, & exinde beatitudo vocatur à Patribus ex doctrina Scripturæ consummatio spiritualis matrimonii inter creaturam, & Deum: Creatura enim in via per fidem gratiã, sive charitate formatam contrahit spiritualia sponsalia cum Deo, ex illo Dei Osee 2. *Sponsabo te mihi in fide.* In patria verò per possessionem Dei beatificam illud spirituale matrimonium consummatur, ac proinde creatura beata jam non solum dicitur sponsa, sed etiam uxor agni, ut habetur Apoc. 21. *Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem Agni.* In matrimonio autem dos sponsæ assignatur; & exinde sponsæ Dei, dotes, & quidem præfiosissimæ assignandæ sunt. Dos quippe à Jutrisperitis accipitur pro dono, quo sponsa datur, quando in domum sponsi solenniter traducitur, tum in solatium matrimonii, ejusque sustentationem, tum in ornatum ipsius sponsæ, ut dicitur *Lege dotis, §. De Jure dotium.* Aliquando dos assignatur à patre sponsæ; aliquando verò à sponso, vel ejus patre, quando nimirum ob ardentem amorem sponsus vult ducere sponsam. Sic Sichem Gen. 34. Ob ardentem amorem erga Dinam dixit Jacob, & filiis ejus: *Augete dotem, & postulate munera.* Et propter hanc rationem in beatitudine dos tribuitur ab ipso sponso creaturæ beatæ, ob nimiam scilicet charitatem, quã illam diligit. Exinde

226. Fit 13. Dotes gloriosas alias esse animæ: alias verò esse dotes corporis. Tria assignari solent ad rationem dotis. Primum, quòd non sit actus vitalis; vita enim sponsæ non dicitur dos sponsæ, sed ea, quæ sunt conducentia ad vitam. Secundum, quòd in gratiam

matrimonii donum illud immediatè refertur: cum autem non possit respicere immediatè matrimonium sponsi divini, quin respiciat immediatè ratione sui aliquid divinum, quod non convenit virtutibus moralibus, sed Theologis. Exinde in matrimonio spirituali creaturæ cum Deo non convenit ratio dotis virtutibus moralibus, sed solum Theologicis. Tertium requiritur ad dotem, quòd sit propria res, quæ datur propria, vel saltem appropriata statui matrimoniali. Quamobrem lumen gloriæ deserviens ad visionem, seu vitam sponsæ, habitus charitatis serviens ad amorem vitalem fructivum, & habitus spei, si ut in Tractatu de Spe docent Theologi, remaneat in patria ad eliciendum gaudium de beatitudine possessa, quam beatus speravit in via, erunt dotes animæ. Ratio est, quia ista dona non sunt actus vitales, & deserviunt ad eos eliciendos; ac proinde conducunt ad vitam. Deinde cum sint virtutes Theologicæ, respiciunt immediatè Deum, sive Sponsum divinum. Tandem promittuntur cum perpetuitate animæ desponsatæ ex vi spiritualis illius matrimonii: ergo participant tria illa requisita ad dotem, ac proinde sunt verè animæ dotes. Quod idem dicendum est de quacumque alia qualitate, easdem rationes participante.

Conveniunt in hac doctrina à nobis tradita ferè omnes Theologi cum D. Thoma in Supplement. quæst. 95. art. 2. ubi ait: *Dicendum, quòd beatitudo, & dos realiter differunt, ut beatitudo dicatur ipsa operatio perfecta, quæ anima beata Deo conjungitur: sed dotes dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque alia qualitates, quæ ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem.* Tum etiam in Solut. ad tertium. *Visio dupliciter potest accipi: uno modo actualiter, id est pro ipso actu visionis, & sic visio non est dos, sed est ipsa beatitudo. Alio modo potest accipi habitualiter, id est, pro habitu, a quo talis operatio elicitur, id est, pro ipsa gloria claritate, quæ anima divinitus illustratur ad Deum videndum. Et sic est dos, & principium beatitudinis.* Exinde qualitates illæ stabiles, quæ ratione hujus spiritualis matrimonii redundant in corpus gloriosum, dicuntur etiam per quamdam appropriationem dotes corporis, etsi non sint adeò rigorosæ dotes, quàm dotes animæ.

228. Quatuor assignantur à Theologis corporis dotes, nimirum impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas, ut enim habet D. Thomas 4. contra Gentes c. 86. *Anima hominis elevabitur ad gloriam spirituum celestium, ut Deum per essentiam videat; Ita ejus corpus sublimabitur ad proprietates celestium corporum, in quantum erit clarum, impassibile, absq. difficultate, & labore mobile, & perfectissimè sua forma perfectum.* Sic Paulus 1. ad Cor. 15. *Seminatur corpus nostrum in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur*

in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Quasi diceret: corpus nostrum in hac vita est obnoxium corruptioni, & morti, & datur sepulturae, ut semen agro: sed resurget incorruptibile, subtile, impassibile, clarum, & agibile: & perfecte subjectum spiritui, quasi ad conditionem spiritus elevatum, ut sic dispositum sit perfectum ad habitaculum Sponsae Ageni, participando similitudinem cum corpore Sponsi Christi; quae similitudo inter sponsum, & sponsam valde aestimabilis est in matrimonio. Hoc significavit Paulus ad Philipp. 3. dicens: *Christus reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*

229. 1. Igitur dos corporis gloriosi est impassibilitas, quae non solum excludit dolorem, & corruptionem, sed etiam omnem dolorem, vel passionem levissimam, seu corruptivam, juxta illud Apoc. 21. *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* 2. Est subtilitas, cujus praecipuus effectus erit corpus gloriosum ab omni terrena labis concreione, & crassitate reddere liberum, ipsamque alioquin animale, & terrestre efficere quasi caeleste, & spirituale, ex loco Pauli cir. n. super. 3. Dos est agilitas, id est, vis celerrime se quocumque movendi, seu maxima facilitas, qua corpus animae ad nunc obedit, maxime quantum ad motum localem, ut brevissimo spatio ad instar avium, ventorum, seu scintillarum in locum se transferat: unde Sap. 3. dicitur: *Fulgebunt justi, & tanquam scintilla in arduo discurrent.* Ubi Scriptura quartam dotem assignat etiam corporis gloriosi.

230. 4. Igitur dos est claritas, seu luciditas, qua non solum superficies, sed ipsa etiam profunditas elucescit; ita ut non minus, quam in crystallo, interior organizatio corporum videri perfecte possit. Sic sol, & stellae non solum quantum ad superficiem, sed etiam lucent ab intrinseco. Unde corpora beata recte comparantur soli, & stellis; dicitur enim Matth. 13. *Fulgebunt justi, sicut sol.* Et Dan. 12. *Fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiant multos, quasi stelle in perpetuas aeternitates.* Si enim Topazium simul retinet colorem flavum, & diaphaneitatem, ut in oppositam partem videatur, quanto magis hoc divinitus retinebunt corpora glorificata?

231. Praeter essentialem beatitudinem, dotisque animae, & corporis omnibus Beatis convenientes, admittunt Theologi quasdam singulares praerogativas gloriae accidentalis, aliquibus solum competentes ob singularium virtutum egregios actus, quas *Aureolas* vocant, sive parvas coronas, per diminutivum respectu essentialis beatitudinis, quae *aurora corona* vocari solet. *Aureole* vocantur etiam *Laureole* ab aliquibus, quatenus tesserae sunt, & indicia specialis beatitudinis. Sicuti qui Doctor creatur, dicitur suscipere *Lauream Doctoratus*. Neque

quodlibet egregium opus *Aureolam*, sive *Laureolam* promeretur, sed solum insignis quaedam victoria de hoste reportata.

Haec autem triplex est: sicut est triplex pugna contra triplicem hostem, mundum scilicet, carnem, & diabolium. Vincitur mundus contemptu mortis, quae maxima est omnium malorum, quae possit mundus inferre; & ita felici victoria vincunt Martyres, dum moriuntur. Vincitur caro, cum ejus illecebris resistitur; ita carnem subigunt Virgines. Vincitur diabolus, cum ejicitur a cordibus hominum, in quibus regnar, & Tyrannidem exercet: ita Doctores, Praedicatores, Scripturae Interpretes, doctrinam, & monitis salutaribus gregem instruunt, & ad ovilia Christi perducentes. Unde alia est *Aureola martyrum*, alia *Virginum*, & alia *Doctorum*.

Pertinet etiam ad gloriam accidentalem *fructus spiritualis*, seu *Evangelicus*, qui propter metaphoram ad fructum materiale multipliciter dicitur: in praesenti autem sumitur pro accidentali gaudio, quod Beati habebunt de meritis, quae egerunt in via; eritque in caelo eo nobilior fructus, quod nobiliora fuerint in via opera nostra, quae sunt quasi semen illius: ad quod alludens Christus Matth. 13. ait: *Semen cecidit in terram bonam, & aliud dedit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigessimum.* Exinde D. Thomas in suppl. q. 96. art. 2. hunc Beatorum fructum ita definit: *Premium quoddam accidentale homini debitum ex hoc, quod ex carnali vita in spirituales transiit, ad modum, quo exterraneo semine fructus confurgit.* Neque restringi debet fructus iste, de quo agimus, ad gaudium correspondens premio solius continentiae, cum aequè extendi debeat ad omnia gaudia de praemiis ex omnibus operibus habitis, cum ea omnia opera sint labores fructuosi viatorum, ex illo Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Unde quod majora fuerint viatorum merita, eo majora erunt praemia Beatorum, tum in gloria substantiali, tum in praemio, & fructu accidentali. Exinde

Supereest ultimus in hac re scrupulus evellendus. Si Beati in caelo inaequales erunt in beatitudine tum substantiali, tum accidentali, quomodo eorum desiderium satiarum omnino erit, & quietum? Videretur enim futuros esse inquietos, & anxios, & magnam invidia ducendos eos, quibus minora praemia conferuntur. Caeterum scrupulus iste facillime evanesceat, si status ille beatificus attentius introspectiatur. In caelo quippe evectus est unusquisque ad illam magnitudinem excellentiae, quae gratiae obtentae in via correspondet, & exinde unusquisque non aliam gloriam desiderabit, nisi quae ipsius magnitudini correspondeat, tam contentus cum illa manens, quam alter majoris magnitudinis, contentus sit cum sua gloria.

Rem explico exemplo vulgari. Haber aliquis Pater tres filios sibi valde gratos, majorem, secundum, & tertium minorem natu: vult ipsis præciosissimam vestem ejusdem omnino rationis conficere, sartorem vocat: qui acceptis mensuris accommodam unicuique vestem conficiat: ita fit, & unicuique suam apponit confectam vestem; at inadvertenter relinquit majorem in loco minoris, & minorem in loco majoris. Vult induere vestem suam filius minor natu, & locò suæ invenit magnam majori fratri correspondentem. Quid tunc? Eligéne magnam? Nequaquam; suam potius postulabit, & induet, quia altera, etsi majoris prætii, non est sibi proportionata, sed valde improporcionata: atque ita cum sua veste unusquisque contentus erit. Si ergo ita contingit in terris, ubi charitas incomparabiliter minor est, ubi minor conformitas cum voluntate Dei imparientis dona; ubi cognitio sui tam diversa à cognitione, quàm in celo Beati se ipsos, & excellentia suæ magnitudinem agnoscunt, quædè magis in cælis unusquisque erit sua gloria, quasi veste sibi proportiata, contentus; & quàm longè erit ab illo felicissimo statu vel minima invidia umbra?

SECTIO III.

Solvuntur opposita contra Assertionones.

Objic. 1. contra primam assertionem positam num. 191. Nostra beatitudo non stat in aliquo creato, sed in ipso Deo: ergo non stat in operatione nostra vitali, & rationali, sed in ipso Deo, seu illapso ipsius in animam. Resp. dist. ant. Nostra beatitudo objectiva, conc. formalis, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia beatitudo nostra objectiva stat in fine per se ultimo, qui est solus Deus Opt. Max. ex dictis num. 15. At beatitudo nostra formalis stat in possessione hujus ultimi finis: cum autem creatura rationalis non aliter finem suum ultimum possideat, nisi cognoscendo, & amando, exinde beatitudo nostra formalis non stat in ipso Deo, sed in actibus vitalibus intellectus, & voluntatis, sive in nobilissimis rationalium potentiarum operationibus, quibus ipsum Deum cognoscimus, & amamus.

Objic. 2. ex Thomistis contra secundam positam num. 193. Beatitudo nostra objectiva est unica, & omnino simplex; ergo etiam beatitudo nostra formalis erit unica, & omnino simplex: atque adeò cum prima & omnino simplex operatio sit visio intuitiva, in ea sola stabit beatitudo nostra formalis. Confir. primo. Beatitudo nostra formalis debet esse operatio primaria perfectissima, & optima, ut docet Aristoteles 10. Eth. c. 7. Sed talis est sola visio intuitiva; ergo &c. Confir. 2. Quando unum est causa alterius, implicat, quòd utrumque concurrat ad eandem essentiam constituen-

dam: sed visio intuitiva Dei est causa amoris; ergo implicat, quòd uterque actus, visionis nimirum, & amoris concurrat ad constituendam essentiam formalem beatitudinis; ac proinde beatitudo essentialiter sumpta in visione sola est reponenda. Confir. 3. ex Augustino in illud Pl. 90. *Ostendam illi salutare meum, ubi hæc: Nescio quid magnum est, quod visuri sumus, quando tota merces nostra viso est.* Et ex D. Thoma 1. 2. quæst. 3. art. 4. in corp. ubi sic: *Dico ergo, quod quantum ad id, quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est, quod consistat in actu voluntatis.* Ergo nostra beatitudo formalis essentialiter sumpta stat in solo actu intellectus, sive in intuitiva visione, & non in actu voluntatis.

Resp. conc. ant. & neg. consequentiam. 238. Quia beatitudo nostra objectiva est finis per se ultimus noster, qui possidetur: cum autem finis per se ultimus noster, qui possidetur, sit Deus simplex omnino, exinde beatitudo nostra objectiva est unica, & omnino simplex. At beatitudo nostra formalis essentialiter sumpta stat in formali ipsius objecto beatifici possessione, quàm rationalis creatura quæta, & satiata manet: cum autem non satietur per solam visionem, neque per solum amorem, sed per utrumque actum, ut constat ex Scriptura, & P. P. num. 195. & ex rationibus datis num. 204. Exinde beatitudo nostra formalis non est unicus simplex actus, aut operatio; sed ex duabus nobilissimis nostris operationibus constituitur. Ad primam Confir. dist. ant. operatio primaria unius solius potentia rationalis, nego, duplicis potentia, intellectiva nimirum, & volitiva, conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia licet potentia irrationales Deum possidere immediatè non possint, ut constat à num. 135. ac proinde essentialis beatitudo non possit in earum actibus reponi, at utraque rationalis potentia, intellectus nimirum, & voluntas, potest Deum immediatè possidere; ideoque essentialis beatitudo utriusque actum simul includit.

Ad 2. Confir. neg. maj. Quia aqua est causa frigiditatis, & tamen aqua & frigiditas sunt de constitutivo essentiali hujus concreti *frigidum*. Intellectus est causa intellectiois: & tamen intellectus, & intellectio sunt de essentiali constitutivo hujus concreti *intelligens*, & sic de millenis aliis. Vnde licet visio sit aliquo modo causa amoris, nihil obstat, ne uterque simul actus sit de essentiali constitutivo hujus concreti *beatitudo*. Ad 3. Confir. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia Augustinus & Thomas in illis testimoniis solum loquuntur de beatitudine abstractè, & expressivè sumpta, dicente in recto solam visionem ex dictis num. 198. non autem loquuntur de beatitudine concretè, & adæquatè accepta, quam fatentur alibi constitui per actum amoris, ut constat ex Augustino citato num. 195. & ex D. Thoma citato num. 1203.

Nn 3

Objic.

240. **Objic. 3.** Beatitudo formalis adæquatè consistit in affectuione, & possessione ultimi finis: atqui sola visio assequitur, & possidet ultimum finem: solus enim intellectus trahit ad se objectum, illudque possidet; voluntas verò non trahit, sed trahitur, & possidetur ab objecto; ergo &c. **Confir. 1.** Illa operatio est vera affectuio, & possessio Dei, quæ ita Deum ponit in potestate ipsius Beati, ut ratione illius possit percipere omne commodum ex Deo ab ipso percipiendum: sed ratione visionis potest Beatus percipere ex Deo omne commodum ab ipso percipiendum, quandoquidem amor, delectatio suavissima, potentiarum omnium cumulata perfectio, omnesque Beatorum gloriosæ dotes continuè ex visione in Beatum derivantur; ergo &c. **Confir. 2.** Actus voluntatis nequit esse affectuio, aut possessio boni amati: ergo sola visio potest esse affectuio, & possessio Dei. Probatur antecedens: Talis amoris actus nequit esse affectuio, aut possessio Dei, si sit desiderium, cum desiderium sit de objecto absenti. Neque si sit gaudium fructivum, aut delectatio; cum gaudium & delectatio præsupponat objectum jam possessum; & sic de aliis voluntatis affectibus; ergo &c.

241. **Resp. conc. maj. & neg. min.** Quia etiam amor est affectuio objecti, ut constat à num. 206. Imò videretur esse affectuio fortior, quia est quasi unio amantis cum amato, qua amans tenetur ab amato, & amatus ab amante: sic agebat Paulus ad Philipp. 1. *Eo quod vos habeam in corde.* Scilicet per amorem. Sic 1. Joannis 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Exinde D. Thomas 1. part. quæst. 37. art. 1. ait: *Ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, provenit quadam impressio rei amate in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante: Sicut & intellectum in intelligente.* Ad 1. **Confir. dist. maj.** Ut ratione illius possit percipere omne commodum arguitivè, neg. formaliter, & fructivè, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam. Ratio est, quia beatitudo formalis non stat in perfectione, ex qua arguitur percipiendum summum commodum; aliter contra adversariorum doctrinam staret in lumine gloriæ, quod est radix ipsius visionis: sed stat in operationibus, quibus formaliter satiatur potentia rationalis percipiens illud commodum: unde non stat in sola visione, sed etiam in amore. Ad 3. **Confir. neg. ant. ad prob. dist. 2. part. antec.** neque si sit gaudium concupiscentiæ à creatura elicium, conc. amicitiae erga Deum, neg. ant. & consequentiam, ut clariùs constabit num. 244.

242. Ratio est, quia gaudium concupiscentiæ à nobis elicium respicit bonum, ut bonum nostrum, & à nobis possessum; ac proinde supponit jam nostram possessionem, eamque non constituit. At verò gaudium amicitiae, quo gaudeamus de bono à Deo possessio, supponit possessionem Dei, non autem nostram; sed per ipsum gaudium amicabile sit bonum amici, quasi pro-

prium nostrum, ex num. 209. ac proinde tale gaudium constituit possessionem nostram, quæ possidemus bonum divinum, gaudendo de illo in comparabiliter magis, quam de bono proprio nostro, juxta illud Pl. 72. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Quæ est expressa expositio Augustini num. 194. ubi ait: *Ipsa est vita æterna, gaudere in te, de te, propter te.* Unde tale amicabile fructivum gaudium de Deo est de essentia nostræ beatitudinis.

In eodem sensu ea verba citata Pl. citati num. super. post plures Theologos, accuratissimè exponit S. Franciscus Salesius lib. 5. de Praxi div. Am. c. 1. per hæc verba: *Ille est Deus cordis nostri per hanc complacentiam: quia per illum cor nostrum illum amplectitur, & sibi suum rededit: ille est nostra hereditas, quia per istum actum fruimur bonis, que sunt in Deo: per hanc complacentiam bibimus, & comedimus spiritualiter perfectiones divinitatis; quia nobis proprias redimus, easque à mensa Dei in corda nostra trahimus.* Sic etiam cap. 3. *Anima posita in presentia divine bonitatis, ubi attraxit perfectionis illius per complacentiam, quam ex ea caput, potest verè dicere: bonitas Dei tota quantà mea est, fruor siquidem ejus excellentis, & ego tota illius sum: quia me ejus gaudia possident.* Ubi vides quomodo per gaudium amicabile Dei & voluntas ad se trahat Deum, & Deus itidem trahat ad se voluntatem, ut Deus maneat in voluntate, & voluntas in Deo, juxta Scripturam citatam num. 241.

Objic. 4. Deus est formaliter adæquatè beatus per solum actum intellectus: atqui nostra beatitudo est participatio divinæ beatitudinis; ergo etiam nostra formalis beatitudo stat in solo actu intellectus. **Confir. 1.** Actus voluntatis nostræ non est primum volitum, seu primum appetibile; hoc enim est solus Deus, qui à visione attingitur: ergo actus voluntatis nequit constituere formalem nostram beatitudinem. **Confir. 2.** Actus charitatis patriæ, & via sunt ejusdem speciei: sed actus charitatis viæ non constituit formalem nostram beatitudinem: ergo neque actus charitatis patriæ. **Confir. 3.** Illa est beatitudo nostra formalis, cujus perpetua privatio est pœna damni, sed pœna damni est privatio solius visionis Dei, ut Theologi omnes constanter docent; ergo &c.

Resp. neg. maj. Quia Deus non solum per actum visionis, sed etiam per actum amoris, & gaudii fructivi de suis prædicatis est perfectè beatus: in Deo enim actus ille concupiscentiæ est realiter, & virtualiter actus perfectioris amicitiae, siue nobilioris charitatis: nulla enim est neque in creatis, neque in divinis nobilior charitas, quam charitas erga Deum: cum autem in Deo omnia prædicata necessaria absoluta, sint realiter, & virtualiter idem, ut in Tract. de Deo larè dixi, exinde repugnat omnino, quòd in Deo visio necessaria sui, quæ est charitas erga ipsum, sit de constitutivo suæ beatitudinis, quin charitas erga ipsum sit etiam de suæ beatitudinis constituti-

stutivum; hoc autem non evenit in creatis, cum gaudium concupiscentiæ elicium à creatura erga se ipsam, non sit perfectius, neque tam perfectum, quam gaudium amicitiae ab ipsa elicium complacendo in prædicatis divinis, ut constat ex sæpè dictis. Ex quibus habetur ulterior explicatio eorum, quæ ad tertiam Confir. diximus num. 241. exinde

246. Ad 1. Confir. rorquo argumentum. Visio intuitiva creata non est primum cognitum: seu primum cognoscibile: hoc enim est solus Deus: ergo visio intuitiva creata nequit constituere formalem nostram beatitudinem. Resp. deinde conc. ant. & neg. consequentiam. Quia primum, seu potius nobilissimum appetibile, quod est ipse Deus, non est beatitudo nostra formalis, sed objectiva; Formalis enim fit in ejus assuetudine, & possessione, quæ natura rationalis manet quæta, & satiata, ut ex scriptura, P. P. & ratione ostendimus à num. 193. Cum autem ejusmodi consecutio, & possessio consistat in actibus intellectus, & voluntatis, ut latè constat ex ibi dictis, exinde in illis, & non in Deo reponenda est beatitudo nostra formalis. Ad 2. Confir. neg. maj. Quia actus charitatis viæ non exigit ex intrinsicis suis pendere ab intuitiva Dei visione: bene verò actus charitatis Patriæ; ac proinde non sunt ejusdem, sed diversæ speciei. Quin imò actus charitatis viæ ex intrinsicis suis componi potest cum aliqua in advertentia, aut errore invincibili, circa aliud objectum. Et exinde cum actione materialiter peccaminosa, cum qua componi non potest actus charitatis Patriæ. Unde habent naturam notabiliter diversam, ac proinde specie distinguntur.

247. Ad 3. Confir. dist. maj. Est poena damni adæquata, conc. inadæquata, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Quia sicut beatitudo formalis adæquata consistit in visione, & gaudio Dei fructivo ex supra dictis, ita poena damni adæquate sumpta consistit in utriusque carentia, & æterna privatione, quæ in illis, qui Deum personaliter offenderunt, majoris doloris causa est, quam in illis, qui solo originali infecti decellerunt: cum isti numquam actuali, inimicitia Deum persecuti sint, bene verò illi. Quamobrem bonitas Dei, quam inamicabiliter profectuntur, est ipsis causa majoris pænæ: felicitas enim illius, quem quis odio prosequitur, est ipsi incomparabiliter causa majoris pænæ, quam si ipsum odio non prosequeretur.

248. Objic. 5. Sola Dei visio est similitudo summi boni inhærens beato: sed formalis beatitudo consistit in ejusmodi similitudine; ergo in sola visione. Confir. 1. Visio intuitiva Dei est in signo priori ad fructivum gaudium de DEO: atqui in signo, in quo datur visio intuitiva Dei, datur quoque beatitudo nostra formalis: omnino quippe repugnat, quòd non sit beatus, qui Deum intuitivè videt; ergo in sola visione intuitiva Dei reponenda est essentia beatitudinis formalis. Confir. 2. Possessio divinæ pulchri-

tudinis habetur per solam visionem: sic pulchra spectacula solo visu possidentur: sicut suavis musica possidetur solo auditu; atqui sola possessio divinæ pulchritudinis est beatitudo nostra formalis: ergo sola visio intuitiva Dei est beatitudo nostra formalis. Resp. conc. maj. in sensu explicato num. 206. & dist. min. Formalis beatitudo abstractè, & inadæquate sumpta, conc. concretè, & adæquate accepta, nego minorem, & consequentiam, ut constat ex num. 198.

Ad 1. Confir. conc. maj. & dist. min. Datur 249. beatitudo nostra formalis adæquata, neg. inadæquata, conc. min. & neg. consequentiam. Ratio est, quia in eo signo, in quo datur visio, datur necessitas ad amorem, & gaudium fructivum pro signo sequenti; ac proinde datur necessitas, ut pro signo sequenti, in quo erit uterque actus, visionis nimirum, & gaudii fructivi, detur beatitudo formalis adæquata. Ad 2. Confir. dist. maj. Possessio adæquata, nego, inadæquata, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Quia Deus ut beans animam non solum possidetur, ut est Pulchritudo formaliter vera, sed etiam ut est bona, ex dictis à num. 204. ac proinde non solum possidetur, ut visus, sed etiam ut amarus. Unde exemplum de sumptum à musica, & spectaculis potius militat contra adversarios, cum ea objecta etiam possideantur delectatione appetitus, cui per potentiam perceptivam intimentur: aliter pulchra spectacula non magis possiderentur ab homine, quam à bruto.

Objic. 6. ex Scotistis. Beatitudo formalis 250. consistit in præstantissima nostra operatione: sed præstantissima operatio nostra non est visio, sed amor; ergo &c. Confir. 1. Præstantissima operatio nostra est illa, quæ quiescimus, & satiamur: atqui per visionem non quiescimus, & satiamur, bene verò per amorem; ergo &c. Confir. 2. actus, quo obtinemus objectum, & quiescimus, pertinet ad illam potentiam, ad quam pertinebat desiderium illius objecti, quando erat absens: atqui desiderium non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem, neque est visio, sed amor; ergo &c. Confir. 3. Natura inanimata, quin habeat intellectum, habet appetitum ad suum finem, quo obtento, quiescit: ergo consecutio finis, quæ est quies appetentis, non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem. Resp. dist. maj. in præstantissima operatione unius tantum rationalis potentia, neg. utriusque potentia, conc. major. & permilla min. neg. consequentiam, ut constat à num. 215.

Ad 1. Confir. dist. maj. per quam quiescimus, 251. & satiamur secundum appetitum unius tantum rationalis potentia, aut secundum terminum supplementi illius, neg. utriusque potentia, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam, ut constat ex dictis. Vide à numero 63. Ad secundam Conf. dist. maj. actus, quo obtinemus objectum adæquate, neg. inadæquate, conc. maj.

maj. & conc. min. neg. consequentiam. Quia actus, quo obtinemus objectum beatificum adæquate, non solum pertinet ad potentiam habentem appetitum elicitum, seu desiderium, ut loquitur argumentum; sed etiam pertinet ad potentiam habentem appetitum innatum; ac proinde spectat non solum ad voluntatem, sed etiam ad intellectum: aliter potentia inanimata, cum voluntatem non habeat, non posset ex doctrina adversariorum habere finem, aut finem obtinere. Ad 3. Confir. retorqueo argumentum. Potentia inanimata, quin habeat voluntatem, consequitur suum finem; ergo consecutio finis non pertinet ad voluntatem. Resp. deinde conc. ant. & neg. consequentiam. Quia finis potentie inanimatae non obtinetur rationali possessione: bene verò finis potentie rationalis: cum autem rationalis possessio non solum includat actum voluntatis, sed etiam actum intellectus, exinde consecutio finis naturae rationalis non fit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu intellectus.

252. **Objic. 7.** Beatitudo objectiva est bonum completivum rationalis appetitus, & satiativum rationalis desiderii: atqui bonum ut completivum rationalis appetitus, sive ut satiativum rationalis desiderii, connotat formaliter tantquam exercitium suum, sive finem quo non quidem actum intellectus, sed solum actum voluntatis; ergo solus actus voluntatis est exercitium, sive finis quo beatitudinis objectivae; ac proinde solus voluntatis actus est beatitudo nostra formalis. Confir. 1. Illa est beatitudo formalis, quæ summum bonum nostrum objectivum à nobis possidetur: atqui per actum intellectus nullatenus possidetur, sed per solum actum voluntatis; ergo &c. Prob. min. Malum objectivum non fit formaliter malum hominis, nisi per solum actum voluntatis: sic malum culpæ fit malum nostrum per volitionem prohibitam; & malum poenæ per actualem tristitiam, & dolorem: quo respexit Augustinus lib. 13. de Trin. c. 5. dicens: *Mala enim voluntate vel sola quisque miser efficitur: sed miserior potestate, quæ desiderium mala voluntatis impletur.* ergo &c. Confir. 2. Adæquata formalis beatitudo est talis Dei possessio, quæ digna est, quam homines propter se appetant, & non propter aliud: atqui solum amorem appetunt homines propter se; visionem verò non ita, sed propter amorem, ad quem ex natura sua ordinatur; ergo &c.

253. **Resp. dist. maj.** Est bonum solum apparens, & cognitum, nego, est & bonum, & verum, atque suis formalibus cognitum, & amatum, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam, ut constat à num. 204. 206. Ad 1. Confir. dist. maj. quæ summum bonum possidetur præcisè ut bonum, nego, ut verum bonum, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad probationem dist. ant. non fit formaliter malum voluntatis nisi per solum actum voluntatis, conc. non fit malum intellectus, & voluntatis, nisi per solum

actum voluntatis, neg. ant. & consequentiam. Ratio est, quia sicut objectum terminans amplexionem pravam voluntatis dicitur malum objectivum voluntatis, ita in sua linea objectum terminans falsam affirmationem intellectus, dicitur malum objectivum intellectus. Ad eum enim modum, quo vitatur voluntas per pravam amplexionem objecti, vitatur in sua linea intellectus per falsam affirmationem. Unde ut formaliter intellectus, & voluntas perficiantur, & satientur, neque sufficit solus actus voluntatis, neque solus actus intellectus: sed uterque requiritur. Quamobrem Augustinus eo loco ab adversariis adducto non loquitur de malo naturae rationalis adæquate sumptò, sed inadæquate accepto, ut satis constat ex rationibus à nobis adductis, & ex Augustino num. 193. & 195. Ad 2. Confir. dist. maj. Quam homines propter se appetant, ut bonum solum voluntatis, neg. ut bonum voluntatis, & intellectus, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam.

Objic. 8. Ex Ripalda. Beatitudo formalis hominis ut intellectivi est visio; hominis verò ut volitivi est amor: sed eo ipso visio, & amor, sunt duæ adæquate essentialis beatitudines formales hominis; ergo &c. Prob. min. ut aliquis actus fit beatitudo adæquata essentialis formalis hominis, non debet pertinere formaliter ad omnes hominis potentias, aliter neque complexum ex visione, & amore esset beatitudo essentialis adæquata hominis, cum præter intellectum, & voluntatem sint in homine aliae potentiae, quæ non sunt intellectiva, aut volitiva: sed sat est, quod per talem actum satietur formaliter una potentia, & ex ea arguamus, alias etiam fore faciendas: atqui per solum visionem satiatur potentia intellectiva, & ex ea rectè arguimus, reliquas omnes potentias esse faciendas: tum enim per solum amorem fructivum satiatur potentia volitiva, & exinde rectè arguimus, reliquas omnes potentias esse faciendas: ergo visio se sola, & amor se solo est adæquata essentialis beatitudo formalis hominis. Confir. 1. Deus ut est objectum beatificum sive ultimum, habet unam tantum rationem beandi, nempe Deitarem; ergo pro formali exercitio suo connotat unam tantum operationem, & ultimam naturæ beatificabilis, quæ quidem ultimata non minus est in voluntate amor, quam in intellectu visio; ac proinde visio se sola & amor se solo erit adæquata essentialis beatitudo formalis hominis. Confir. 2. Beatitudo formalis objectiva & essentialis est unica, & incomposita; ergo etiam adæquata essentialis beatitudo formalis.

Resp. conc. maj. & neg. min. ad prob. dist. maj. non debet pertinere ad omnes hominis potentias incapaces attingendi immediatè Deum, conc. capaces attingendi immediatè Deum, neg. maj. & conc. min. nego consequentiam. Ratio est, quia homo non est capax attingendi immediatè Deum nisi per intellectum, & volun-

tatem. Unde operationes aliarum potentiarum non sunt de essentia beatitudinis, sed potius sunt beatitudinis proprietates; ac intellectus, & voluntas cum capaces sint attingendi, imò & defactò in statu beatitudinis immediatè Deum attingunt, capaces sunt essentialis beatitudinis; quâ Deum immediatè possideant; ac proinde cum una potentia non possideat formaliter per actum alterius, sed unaquæque per suum; & homo per utrumque; exinde adæquata hominis beatitudo non stat in uno solo, sed in utroque earum potentiarum actu. Ad 1. confirmationem dist. ant. nempe Deitatem, quæ sit immediatè, & formaliter faciativa unius tantùm potentia; neg. utriusque potentia intellectiva; nimirum; & volitiva; conc. ant. neg. conseq. propter rationem jam datam. Ad 2. secundam conf. dist. eodem modo ant. & neg. conseq. Quia licet beatitudo objectiva sit eadem; actus tamen, quo ab unaquæque potentia immediatè attingitur; & quo quæta; & satiata manet, non est unus; sed duplex.

SECTIO IV.

Solvuntur opposita contra Illationes.

356. **O**bj. 1. Contra quinque priores illationes. Beatitudo formalis stat in actu, quo creatura quæta, & satiata manet, gaudetque de ultimo fine ab ipsa possessio: sed talis actus non est amor amicitia; erga Deum, sed concupiscentia; erga ipsam creaturam; ergo beatitudo nostra formalis non stat in actu amoris amicitia; creatura; erga Deum, sed in actu concupiscentia; erga ipsam creaturam. Conf. 1. Actus voluntatis constituens Beatitudinem est ille, quo creatura gaudet de bonis, sibi que in ipsis complacet ex dictis n. 310. in secunda illatione; sed actus, quo creatura ita gaudet; & complacet; est amor concupiscentia; ergo &c. Conf. 2. Amor constitutus essentialis beatitudinis non solum continet formalitatem amoris; sed etiam formalitatem fruitionis; cum sit amor fructivus; ex n. 311. in tertia illatione: atqui formalitas fruitionis pertinet ad amorem concupiscentia; ergo &c. Conf. 3. Actus amoris constituens Beatitudinem se habet tanquam excedens, & excessum respectu visionis ex n. 212. in 4. & 5. illatione. Sed amor concupiscentia; se habet tanquam excedens, & excessum respectu visionis, ut patebit rationes expendenti ibi à nobis datas; ergo &c.

357. **R**esp. dist. maj. De ultimo fine ab ipsa possessio, prout possessio ab ipsa, neg. prout possessio à Deo, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia actus, quo creatura gaudet de bonis Dei, non præsupponit in creatura adæquatam Dei possessionem, sed eam supponit in Deo: unde creatura gaudens de illa adæquata possessione non gaudet de bonis Dei, prout creatura; bonis, quod requirebatur ad actum concupiscentia; sed prout

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

bonis Deo, quod constituit actum amicitia; quapropter cum amicitia faciat in actu exercito amicorum bona communia, nec ea communia ante amicitiam ex necessitate supponat, exinde actus ille creatura; in actu exercito est possessio bonorum Dei, nec præsupponit ante ipsam illam possessionem. Ad primam confirmationem dist. maj. sibi que in ipsis complacet, ut sibi bonis, neg. ut bonis Deo, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad secundam confirmationem dist. eodem modo maj. formalitatem fruitionis; quâ fruatur bonis Dei, ut Deo bonis, conc. ut creatura; bonis, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad tertiam confirmationem dist. maj. Tanquam excedens, & excessum, factâ comparatione inter nobilissimas potentiarum operationes, conc. inter operationes minus nobiles, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam, ut constat ex dictis. Vide num. 261.

258. **O**bj. 2. Beatitudo patriæ explicanda est sumptâ similitudine à beatitudine viæ: sed beatitudo viæ constituitur per amorem concupiscentia; ergo & beatitudo patriæ. Resp. dist. maj. sumptâ similitudine quoad aliquâ, conc. quoad omnia, neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Ratio est, quia beatitudo viæ, juxta Scripturam, PP. & communem Theologorum significat operationes supernas viatorum gratiâ informatas, quibus ad veram patriæ beatitudinem tendunt, eam condignè merendo: cum autem viatores non solum merantur æternam beatitudinem per actus charitatis, sed etiam per actus concupiscentia; sive spei, exinde non solum actus charitatis, sed etiam actus spei dicitur esse de constitutivo beatitudinis viæ. At beatitudo formalis patriæ essentialiter sumptâ, non est illa, quâ meremur, sed illa, quâ Deum immediatè possidemus: & quæ est ultima; seu nobilior potentia; possidentis operatio: cum autem conceptus iste non quidem omnibus Beatorum operationibus, sed soli visioni, & amicabili Dei amori conveniat, ut constat ex dictis: exinde in istis; & non in amore concupiscentia; rependa est essentialis beatitudo patriæ.

259. **Q**uod autem nomine beatitudinis viæ veniat conceptus à nobis expositus, constat ex sacra Scriptura semper loquente in hac significatione, quotiescumque loquitur de beatitudine viæ: sic Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in Consilio impiorum.* Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in Legge Domini.* Tum etiam in novo Testimonio sæpe dicitur: *Beati pauperes Spiritu, Beati mites, Beati qui lugent* &c. Unde cum in via immediatè creatura uniatu DEO per actus meritorios virtutum Theologicarum, quàm per actus virtutum moralium: exinde docent etiam plures Theologi, potius in illis, quàm in istis consistere essentialem beatitudinem viæ. Si verò beatitudo viæ, de qua agimus, in tota sua latitudine consideretur, prout comprehendit omnes actus meritorios æternæ bea-

titudinis, quam ut præmium illorum speramus, non incongruè dicitur beatitudo spei, quo nomine appellatur à D. Thoma, & communi Theologorum. Quapropter eodem modo in sua linea discurrendum est de beatitudine viæ, quæ esset in statu puræ naturæ, ac in præsentibus discurremus in statu elevaionis.

260. Obj. 3. Contra 6. illationem. Visio intuitiva Dei solum debet repræsentare Deum, quatenus est objectum beatus creaturam: atqui non est objectum beatus creaturam, prout est creaturæ bonum: sed prout est sibi bonum: aliter non beatificaret per solum actum amicitia, sed etiam per actum concupiscentia contra doctrinam superiorum illationum: ergo visio intuitiva Dei non debet repræsentare Deum ut creaturæ bonum; ac proinde neque ut possidendum à creatura per totam æternitatem. Conf. 1. Dummodo Beatus per intuitivam visionem cognoscat Deum bona sua per totam æternitatem possessurum, idque amat amore fructivo amicabile, habet totam suam essentialem beatitudinem, & est plenè contentus; atqui totum hoc cognoscere potest in instanti, quin ad conceptum istum requiratur, quòd visio, & amor duret in æternum; ergo visio intuitiva non debet ex necessitate repræsentare felicitatem illam creaturæ duraturam in æternum. Conf. 2. Beatitudo non consistit in cognitione alicujus rei creatæ, alioquin Deus non esset objectum adæquatam beatificum: atqui visio, ejusque perpetuitas sunt aliquid creatum; ergo beatitudo nullo modo consistit in cognitione reflexa de visione ipsa, ejusque perpetuitate.

261. Resp. Conc. maj. & dist. min. Prout est creaturæ bonum, ly prout significante motionè ad affectum consistentem in bono creaturæ, quia ipsi bono, conc. ly prout significante motionem ad affectum, quo creatura vult suum bonum, non quia sibi, sed quia Deo bonum, neg. min. & conseq. Explico distinctionem: dupliciter potest creatura se gerere circa bonum, quod sibi bonum cognoscit, nimirum vel amando illud, quia sibi bonum, & tunc elicit actum concupiscentia, vel amando illud, quia Deo bonum, & tunc elicit actum charitatis, sive amicitia. Per visionem autem intuitivam, creatura hæc duo cognoscit, nimirum & Deum esse bonum Deo, & etiam esse bonum creaturæ, quod ab ipsa possidebitur in æternum: creatura verò per amorem amicabilem totum illud amat actum, quo se ipsa, imò & proximo fruitur; non autem propter se ipsam, sed propter Deum. Unde non per amorem concupiscentia, sed per amorem amicitia formaliter amat tanquam suum objectum beatificum, & ultimarum ipsum Deum. Hæc enim est expressa Augustini doctrina tom. 3. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. ubi ait: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum: cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet cor-*

pore non propter Deum. Quam doctrinam habet etiam D. Thomas 2. 2. q. 18. art. 6. in corp. & 3. contra Gentes cap. 153.

Ad primam confirmationem dist. maj. Idque amat per amorem anxietatis, & miseria æternæ expertem, conc. non expertem, neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Quia amor perfectissimus amicitia erga Deum est ille, quo amans ferventissimè cupit nunquam discedere à Deo amato; non quidem propter suam, sed propter bonitatem amati: neque aliter potest rationabile amantis desiderium, neque aliter potest amor ille esse beatus, ut constat ex n. 218. Atque adeò tendit in Deum ut æternè possidendum. Ad secundam confirmationem dist. maj. Beatitudo purè objectiva, conc. beatitudo consurgens ex purè objectiva, & formalis, neg. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Ratio est, quia visio Beatifica duo cognoscit: nimirum & Deum, qui est beatitudo nostra purè objectiva, & possessionem aliquam Dei duraturam in æternum: quæ non est beatitudo purè objectiva, sed potius formalis, quamvis, prout cognita, dicatur etiam aliquomodo objectiva. Quando ergo dicimus, quòd solus Deus est beatitudo nostra objectiva, loquimur de beatitudine purè objectiva, quæ est objectum ultimarum, ratione cujus appetibilis est æterna possessio: cum autè solus Deus sit ratione sui ultimè appetibilis, exinde solus ratio sui est beatitudo nostra purè objectiva.

Obj. 4. Contra 7. 8. & 9. illationes. Si Beati cognoscerent omnia, quæ ad eorum statum pertinent, cognoscerent plura probabilia: sed nequeunt cognoscere probabilia: aliter cum cognitio probabilis sit exposita errori & fallitati, habere possent errorem, ignorantiam, & fallitatem contra doctrinam 8. illationis; ergo &c. Conf. 1. Error inculpabilis non est malum morale, sed purè physicum: atqui Beati non possunt habere talem errorem; ergo neque cognitionem probabilium, licet ista sit malum purè physicum. Conf. 2. Satus beatitudinis est exclusivus omnis miseria; ergo excludit cognitionem probabilium; atque adeò omne malum pena contra doctrinam 9. illationis. Vide à n. 267. pro his, quæ objici possent contra Beatorum impeccabilitatem.

Resp. dist. maj. cognoscerent plura probabilia, probabiliter & incertè neg. certè, & determinatè, conc. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia Beati circa probabilia non eliciunt affirmationem, aut negationem, nisi quando Deus eorum eventum illis declarat, vel per scientiam infusam, aut per scientiam experimentalem: cum autem eventus rerum probabilium non cognoscantur à Deo probabiliter, & incertè, sed certè, & determinatè, exinde Beati non cognoscunt probabilia probabiliter, sed certè & determinatè: sic DEUS cognoscit obscura, non quidem obscurè, sed clarè, & cognoscit mala, non quidem malè, sed bene. Ad primam

nam confirmationem dist. maj. non est malum formale, conc. malum objectivum, neg. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Quia malum morale objectivum est objectum difforme naturæ ut rationali, ut constat à n. 9. de Virtute Poenitentiae. Cum autem error sit difformis naturæ ut rationali, exinde est malum morale; malum autem morale objectivum est impossibile cum statu beatifico, non minus, quam carentia boni physici illi statui debiti: unde si ignorantia strictè sumpta, quia affert carentiam boni physici debiti, nequit componi cum statu beatifico, multò minus poterit error componi. Ad secundam confirmationem dist. ant. est exclusivus omnis miseræ duraturæ in æternum, conc. solum ad tempus, subdist. si afferant lucrum ad æternitatem, neg. si nullum afferat, conc. ant. & sub data dist. neg. conseq. ex dictis n. 222.

265. Objic. 5. contra 10. & 11. illationes. Deus de potentia absoluta facere potest, quidquid nullam affert contradictionem: atqui nullam affert contradictionem, quòd Deus alicui concedat visionem beatificam ad tempus, & postea illum dextruat, neque visionem ei per totam æternitatem iterum conferat: ergo possibile est visio beatifica, quæ non repræsentet perpetuitatem felicitatis. Conf. Nulla est possibilis determinata visio beatifica, quam Deus non possit destruere ex 11. nostra illatione: ergo nulla est possibilis determinata creatura beata, quam cum sua beatitudine non possit Deus destruere, & nunquã iterum reproducere: quinimò si in tali indestruibilitate nulla datur repugnantia, neq; dari poterit in eo, quòd visionem determinatam Deus destruere non possit, quòd manifestè pugnat contra nostram doctrinã.

266. Resp. C. maj. & neg. min. Quia dona Dei sunt absq; poenitentia ex Scriptura: & tunc essent cū poenitentia: esse autè sine poenitentia, & esse cū poenitentia manifestè sunt contradictoria; insuper visio intuitiva cum clarè repræsentet infinitatem Dei bonitatè, voluntatem rapit ad amorem maximum amicabilem Dei: ac proinde Deus admitrens creaturam ad intuitivam sui visionem, admittit illam ad maximam sui amicitiam. De essentia autem summæ amicitiae est, quòd amicus amicum non vexet absque lucro, ut diximus n. 222. Contradictoria autem sunt vexare, & non vexare absque lucro, & exinde essent planè contradictoria, conferre visionem, & tollere perpetuitatem. Ad conf. conc. ant. & neg. conf. Quia quòd Deus non possit creaturam beatam destruere, aut annihilare in perpetuum, non defumeretur ex eo, quòd talis creatura esset indestruibilis ex intrinsecis suis; sed ex pura voluntate Dei, qui admisit illam ad beatitudinem. Quòd autem creatura destruibilis intrinsecè, & antecedenter sit extrinsecè, & subsequenter ad voluntatè Dei indestruibilis, nulla est implicantia, ut per se patet. At verò visio, quæ sui æternam durationem affirmaret, esset indestruibilis ex intrinsecis suis,

R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

quod est contra essentiam creaturæ, ut constat ex n. 224. Propter quam rationè dicitur in Tract. de Fide, repugnare actum fidei divinæ, qui credat, nunquam ipsam in æternum destruendum.

267. Objic. 6. Contra 12. & 13. illationes. Si formalis beatitudo esset constitutiva spiritualis matrimonii animæ beatæ cum Deo, & exinde inductiva dotum, aliarumque proprietatum beatitudinem comitantium, talis spiritualis conjunctio animæ cum Deo ex vi beatitudinis esset indissolubilis, cum matrimonium indissolubile sit: atqui non remanet indissolubilis; ergo &c. Prob. min. Beatus potest peccare de potentia absoluta; ergo illa conjunctio animæ cum Deo ex vi beatitudinis non est indissolubilis. Prob. ant. ex D. Thoma q. 22. de Verit. art. 6. dicente: *Inest libertas voluntati in quolibet statu natura respectu cujuslibet objecti.* Et 1. 2. q. 10. art. 2. *Voluntas movetur dupliciter: uno modo, quantum ad exercitium actus: alio modo quantum ad specificationem actus, que est ex objecto.* Et subdit. *Primo modo voluntas à nullo objecto ex necessitate movetur.* Sed ex eo, quòd voluntas nullo modo ex necessitate moveatur ab objecto, neque movetur ex necessitate à Deo intuitivè viso: atque adeò manet libera ad peccandum, & non peccandum; ergo &c. Conf. Amor beatificus non excludit libertatem ad peccandum; ergo neq; visio intuitiva. Prob. ant. Ab eodem habitu, à quo provenit amor beatificus in patria, procedit actus charitas in via: sed actus charitatis in via non excludit libertatem ad peccandum; ergo neque amor beatificus in patria.

268. Resp. C. maj. & neg. min. ad prob. neg. ant. ad prob. conc. maj. in sensu D. Thomæ loquentis de objecto præcisè secundum entitatem objecti attingibilis; non autem de entitate objecti infinite boni ut intuitivè cogniti; & dist. min. si voluntas nullo modo ex necessitate moveatur ab objecto præcisè secundum entitatem objecti attingibilis, neg. si nullo modo moveatur ab objecto adhuc ut intuitivè cognito, conc. min. & neg. consequentiam. Voluntas enim non necessitatur à bonitate divina, præcisè quia attingibilis sit per amorem; neque ab ipsa præcisè, quia per aliquam cognitionem attingitur, ut patet in viatoribus Deum cognoscentibus, quin exinde necessitentur ad Deum amandum. Necessitatur verò à bonitate divina intuitivè cognita, cum ex ipsis terminis notum appareat, divinam bonitatem ita cognitam majorem vim exercere movendo ad amorem, quam exercere posset creata voluntas ad se retrahendum.

269. Si enim in creatis quando intuitivè proponitur aliquod delectabile bonum, ita rapitur voluntas, ut non nisi difficilè retrahatur, ut experientia constat, quanto magis à divina bonitate intuitivè cognita ad ipsius amorem rapiatur? certè veritas ista nulla alia ratione potest melius ostendi, quam ex ipsa terminorū penetratione. Hunc autem esse legitimum D. Thom.

sentum constat ex ipsius doctrina à nobis tradita n. 175. Ad confirmationem neg. ant. ad probationem dist. maj. ab eodem habitu cum eisdem dispositionibus operante, neg. cum diversis, conc. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Quia si voluntas cum his dispositionibus instructa manet necessitata, & non cum aliis, quomodo non manebit habitus necessitatus ad operandum cum his dispositionibus, licet necessitatus non maneat ad operandum cum aliis?

270. **Objic. 7.** Instando simul solutionem. Licet per fidem proponatur Deus voluntati viatoris, ut summum; & infinitum bonum, amor per illum regulatus adhuc est liber: ergo licet per lumen gloriae, & visionem intuitivam proponatur ut infinitum, & summum bonum, adhuc amor per visionem regulatus erit liber. **Confirm. 1.** Habitibus utimur, prout volumus; ergo etiam Beati utuntur habitu charitatis, & ejus actum exercent, prout volunt: ac proinde non amant ex necessitate. **Confirm. 2.** Diversitas approximationis, & applicationis passivi ad agens non inducit necessitatem, sed solum intensiorem actionis, ut patet in diversa approximatione calefactibilis ad calefactivum: atqui intuitiva visio Dei non repræsentat diversam bonitatem, sed tantum eandem melius applicat, & conjungit voluntati magis, quam fides, & cognitio obscura; ergo non inducit necessitatem amoris, sed solum majorem intensiorem illius.

271. **Resp. conc. ant. & neg. conseq.** Quia actus fidei non impedit, ne proponatur Deus obscure, & ut obtinendus per contemptum bonorum appetibilem, quæ etiam attrahunt ad sui amorem voluntatem: ac proinde actus fidei non proponit clarè bonitatem; nec cum exclusione omnis malitiæ: cum autem cognitio ænigmatica bonitatis non necessitet ad amorem, nisi quando proponitur bonitas cum exclusione omnis malitiæ, ex dictis à n. 173. Ea de causa actus fidei non necessitat voluntatem ad amorem. At verò cognitio intuitiva divinæ bonitatis aliter se habet, cum sit intima animæ conjunctio cum bonitate infinita, quæ intimè conjuncta voluntati exercet majorem vim attrahendi, quam voluntas habeat vim se retrahendi ex n. 269. Voluntas enim degustata semel infinita bonitate, omnia alia ipsi contraria, tanquam sibi molesta, & fastidiosa vilipendit.

272. **Ad primam confirmat. dist. ant.** prout volumus necessariò, spontaneè, aut liberè, conc. semper liberè, neg. ant. & conseq. ut constat ex dictis. **Ad secundam confirm. neg. maj.** Ignis enim non satis applicatus ligno non comburet necessariò lignum, benè verò si aptè applicatus sit. Pariter bonitas applicata ad movendum supra vim, quam habet voluntas ad se retrahendum, necessitabit, quamvis non necessitet, si ita aptè applicata non sit. Quinamò cum finis libertatis sit in bonum agen-

tis, & non in malum, voluntas ad summi boni amorem necessitata, perfectius obtinet finem suum, quam si libera esset ad amandum, vel odio habendum summum illud bonum, ut clarè patet in DEO ad sui amorem necessitato.

Objic. 8. Instando iterum solutionem. Libertas ad peccandum est de essentia voluntatis creatæ: atqui in Beatis manet essentia voluntatis creatæ; ergo manet libertas ad peccandum. **Confirm. 1.** Potest Deus præceptum imponere Beato de aliquo actu libero, v. g. de custodia Angelorum: sed posito eo præcepto posset beatus illud violare, & peccare; non enim teneretur Deus dare Beato auxiliium efficax ad præceptum implendum; ergo &c. **Conf. 2.** Potest Deus peccatori actuali & habituali infundere visionem beatificam; ergo visio beatifica compossibilis est cum actuali peccato: ac proinde multò magis cum libertate ad peccandum. **Resp. neg. maj.** Nam de essentia voluntatis creatæ solum est potestas remota, ut constituitur libera quotiescumque habeat dispositiones, quæ relinquunt illam ad utrumque expeditam. Libertas enim est potentia proxima expedita ad utrumque. Cum autem in statu beatitudinis non possit voluntas esse expedita proximè ad bonum; & malum; exinde non est libera; licet sit essentialiter voluntas.

Ad primam confirmationem conc. maj. in sensu, in quo Christus fuit liber cum præcepto, & neg. min. Quia si Deus præcipiat Beato, tenetur dare potentiam ad exequendam rem præceptam: cum autem Beatus propter conformitatem, quam habet cum voluntate divina ex vi amoris amabilis; & perpetui ex num. 218. non possit difformari divinæ voluntati, exinde non haberet otiosam potentiam executivam præcepti sub peccato obligantis; sed illam impenderet in executione præcepti: unde nunquam potest Deus in tali casu prævidere auxiliium illud futurum inefficax. **Ad secundam confirmationem neg. ant.** Visio enim beatifica, ut dicemus agendo de gratia, est forma sanctificans, ac proinde impossibilis cum peccato actuali, & habituali: si enim gratia habitualis est forma sanctificans, quia non solum est remissiva peccati, quod poterat convenire conditioni purè extrinsecæ, quæ non est forma sanctificans, sed quia etiam assert jus ad hæreticitatem filiorum Dei; ut inferitur ex Tridentino sess. 6. cap. 7. dicente: *Justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injusto, fit justus, & ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ.* Quomodo ab hac dignitate expers sit ipsa hæreditatis filiorum possessio? Quare non solum arguitivè, quod factis erat; verum etiam formaliter expellit peccatum.

Objic.

275. **Objic. 9.** Dotes glorioſæ Beatorum radica-
tæ in formali beatitudine, non habent virtutem
ad reddendum corpus intrinſecè, ſed ſolum
extrinſecè glorificatum; ergo neque formalis
beatitudo habebit virtutem ad exigendum intrinſecè
Beati perpetuitatem; ſed ad ſummum
ad ſe componendum extrinſecè cum ea perpetui-
tate. **Prob. ant.** claritas, & luciditas ſolum
reddunt corpus extrinſecè clarum, & glorioſum:
ſecus autem intrinſecè; ergo &c. **Prob. ant.**
ſingulæ partes corporis glorificati retinent ſu-
um colorem, qui quidem ad pulchritudinem ne-
ceſſariò requiritur: pulchritudo enim, ut ait
Auguſtinus lib. 19. de Civit. cap. 19. *Eſt par-
tium convenientia cum quadam coloris ſuavitate.*
Atqui omnis color cauſat opacitatem, &
impedit transparentiam, & diaphaneitatem; ergo
corpora glorioſa non erunt transparentia, ſed
opaca, ac proinde non erunt intrinſecè, ſed ſolum
extrinſecè lucida, & clara.

276. **Conſir.** Aſpectus corporis glorificati ſecundum
externam tantum ſuperficiem, decentior,
& optabilior eſt; varietas enim tot partium in-
ternarum, & minutarum potius confuſionem,
quam delectationem pareret in viſu; ergo ex-
terna tantum corporis ſuperficiès erit lucida, &
clara, ac proinde Beati externam videbunt cor-
porum ſuperficiem, non autem eorum internam
compoſitionem. Hoc argumentum ſi bene ex-
pendatur, nihil probat contra beatitudinem for-
malem, cum hæc optabilior planè ſit; ſi aſſerat
ex intrinſecis ſuis perpetuitatem, quam ſi non
aſſerat; licet optabilior non foret dos aſſerens
internam corporis claritatem. Verum quia hoc
etiam eſt falſum, ut ſtatim conſtat,

277. **Reſp. neg. ant.** Ad prob. neg. etiam ant. Ad
prob. conc. maj. & neg. min. Quia ut ex num.
270. Color nequaquam impedit, ne corpora
glorioſa inter ſe diſcernantur; & in oppoſitum
videantur; Topazius enim ut experientia con-
ſtat, retinet colorem flayum; & diaphaneita-
tem luſſicientem, ut in oppoſitam partem totus
videatur: Unde ſi in medio eſſent alii colores
virides, cærulei &c. cum eadem diaphaneitate,
abſque dubio videri poſſent. Ad Conſir. nego
ant. Quia ex corporum diaphaneitate nulla ſub-
ſtritur confuſio, ſed maxima divinæ ſapientiæ,
& omnipotentia laus, & admiratio; in quam
Beati rapiuntur unico velut iſtu intuentes mira-
bilem humani corporis fabricam: videbunt
enim purpurantes venas, veluti humani arbo-
ris ordinatiſſimos ac delicatiſſimos ramos; ad-
mirabiles ſenſuum officinas, atque Oſſa veluti
ejuſdem ædificii ſolidiores baſes: cor in medio
poſitum, unde ſanguineus liquor per totius cor-
poris canales diſſuſus continuò manat: nervo-
rum vincula, articulorum compages, & id ge-
nus alia in parvo corpore ſtupenda, quæ ad ma-
ximam laudem, & ad mirationem ſuperni Arti-
ficiſ ducunt. Ex dictis

278. **Fit 1.** Animas Beatorum à peccatis perfecte
purgatas ſui clarà Dei viſione, & amore beati-
tudo non expectatà reſurrectione, aut generali

judicio. Ratio eſt, quia ita definitum eſt in
Florentino Seſſ. ultima, ubi dicitur: *Animas
à corporibus exutas, & purgatas in cælum mox
recipi, & intueri ipſum Deum unum, & Trinum,
ſicuti eſt.* Quam veritatem priùs definierat Be-
nedictus XII. in Extrav. *Benedictus Deus,* ut
reſertur in Directorio Inquiſitorum part. 2. &
ex Scriptura inferitur: Nam ad Philipp. 1. ait
Apoſtolus, *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum
Chriſto:* Quod quidem deſiderium inutile pro-
fuſus eſſet, ſi non fuiſſet viſurus Deum ante diem
judicii. Tum 2. ad Cor. 5. *Quamdiu ſumus in
corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim
ambulamus, & non per ſpeciem.* Unde relicto
corpore non per fidem, ſed per intuitionem vi-
debimus: Sic Chriſtus Luc. 23. ad Latronem
dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quod
non de terreſtri, cum in ea Chriſtus eà die non
fuerit, ſed de Limbo, debet intelligi, qui Pa-
diſus dicitur; quia ibi Latroni, & S. S. P. P.
communicata fuit beatitudo, & viſio divinæ
eſſentiæ; nam ut ait Auguſtinus Ep. 57. *Ge-
nerale Paradisi nomen eſt, ubi feliciter vivi-
tur.*

Exinde Greg. in Pl. 4. Pœnitentialem: *Bea-
tudo, & animabus S. S. ante reſurrectionem
tribuitur, & corporibus nihilominus poſt judi-
cium.* Chryſoſt. hom. 32. in Ep. ad Rom. *Pauli
animam verſari in ſummo cælo, & propè Regis ſo-
lium, ubi Cherubim, & Seraphim volitant.* Ful-
gentius Serm. de S. Steph. *Hodie miles de ta-
bernaculo corporis exiſtens triumphanter migra-
vit ad cælum.* Quapropter aliqua Scripturæ,
& P. P. teſtimonia, quæ in contrarium ſolent
adduci ſolum intelliguntur de gloria conferen-
da juſtis omnibus cum publico honore, ſolemni
pompa; & manifeſtatione omnium bonorum
operum, quod faciendum reſervavit Chriſtus in
diem generalis judicii, quando congregatis om-
nibus, & judicatis dicit ad juſtos: *Venite Bene-
dicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum
à conſtitutione mundi:* ad damnatos autem:
*Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui
paratus eſt.*

279. **Fit 2.** Altera S. S. P. P. teſtimonia, in qui-
bus apertè dicitur S. S. beatitudinem uſque ad
tempus reſurrectionis eſſe differendam, vel ex-
plicanda eſſe de adæquata beatitudine corporis,
& animæ, vel de beatitudine animæ habita cum
eo publico honore, & ſolemnitate, de quantum
ſuper. Vel forte dici poſſet, aliquos ex S. S. P. P.
id olim docuiſſe; quia tunc res ſub opinionibus
verſabatur, & nondum erat ab Eccleſia definita.
Nunc verò non licet de hoc dubitare ob defini-
tiones Florentini, & Benedicti XII. ſuprà addu-
ctas. Quin imò Joan. XXII. valde etiam fuit pro-
penſus in eam opinionem, quæ docebat, ani-
mas purgatas non viſuras Deum ulque ad diem
judicii, idque perſuadere ſtatuit; verum ut Pon-
tifex non definiſſet, quamvis ut Auctor particu-
laris ita ſenſerit; imò ut ait Benedictus XII. in
ſua Extravaganti, *ſpeciali Dei providentia rap-
tus fuit, antequam aliquid definiſſet.*